DE SANCTI DAMASI

SUMMI APUD CHRISTIANOS PONTIFICIS

CARMINIBUS

DE

SANCTI DAMASI

SUMMI APUD CHRISTIANOS PONTIFICIS

CARMINIBUS

THESIM

PARISIENSI LITTERARUM FACULTATI PROPONEBAT

ALPHONSE COURET

IN JURE CIVILI DOCTOR

PARISIIS

EXCUDEBAT ADOLPHE LAINÉ

IN VIA SANCTORUM PATRUM

M DCCC LXIX

VENERANDI PATRIS MEMORIÆ

DE SANCTI DAMASI

SUMMI APUD CHRISTIANOS PONTIFICIS

CARMINIBUS

I

DE SANCTI DAMASI PRIMORDIIS ET VITA

Quum Ariani Constantii principis favore freti[1] per orbem Romanum debaccharentur, et omnes episcopos aut consentientes aut extorres tenerent[2], Liberium papam aggressi sunt, ut et ipse sanctum Athanasium Alexandrinum præsulem et quasi catholicarum partium signiferum[3] edicto damnaret, eumque hac summa quæ inhæret Romanæ sedi[4] auctoritate opprime-

1. Theodoreti *Histor. Eccles.*, lib. II, cap. II (Migne, *Patrol. lat.*, t. LXXXII). — Rufini *Histor. Eccles.*, lib. I, cap. II (*Patrol. lat.*, XI). — Socratis *Histor. Eccles.*, III, I (*Patrol. gr.*, t. LXVII).

2. Sancti Athanasii *Apologia II contra Arianos* (*Patrol. gr.*, t. XXVI). — Theodoreti *Histor. Eccles.*, II, II. — Sozomen., III, III, IV, VIII.

3. Rufini *Histor. Eccles.*, I, XIV, XIX. — Theodoret., I, XXV. — Moehler, *Hist. de l'Église*, ch. II, § 3, p. 407 (Paris, Gaume, 1868, in-8).

4. Amm. Marcellin., *Hist.*, XV, VII. — Sancti Cypriani *Ad Cornelium papam*, *Epist. XLIV*. — *Ad Antonian. episcop. Numidiæ*, *Epist. LII*.

ret[1]. Quod quum negasset Liberius, ab Arianis graviter vexatus et quotidie Constantii minis exagitatus [2], in Noëllæ cœmeterii latebras, via Salaria, ad tertium lapidem confugit. Ibi familiari et adjutore diacono quodam usus est, Damaso nomine, quem præ cæteris diligebat, quemque, dum ipse latebat, vicarium suum in Urbe constituit[3]. Tanto quidem honore haud indignum hic se præbuit : quum enim Liberius a christiano populo rogatus ut, die festo Paschæ, vivificas baptismi undas concederet, anceps tamen hæreret, quod ecclesiæ omnes pelvesque in iis inclusæ ab Arianis tenerentur, ipse suasit ut, spreta Arianorum insolentia, ruri, campestrem quemdam ad fontem petentibus sacras palam dispertiret aquas, cunctantemque præclaris his verbis est adhortatus : « Baptiza in pelve ubi Magister : pelvis illa non lignum sed totus mundus est[4]. » Nec multo post, quum rursus nova turba ut tribueretur baptisma rogaret, nec annuere liceret, quod fons, qui solus orthodoxis tunc patebat, malignus quidem et adstantium numero omnino impar flueret, se ultro Damasus hunc largum et plane sufficientem effecturum esse spopondit. Nec immerito, nam, collecta opificum magna manu, fontem adiit, cujus venas secutus, rupem fodit et, inventa aquæ ingenti copia, hanc in majorem piscinam recepit[5]. Tandem solus inter Romanos sacerdotes Liberium a Con-

---

1. Sancti Athanasii *Histor. Arian. ad monach.*, § 36 (*Patrol. lat.*, t. XXV). — Moehler, t. I, ch. II, § 5, p. 412.

2. *Gesta Liberii papæ*, § 2 (*Patrol. lat.*, t. VIII). — Sancti Athanasii *Histor. Arian. ad monach.*, §§ 37, 40.

3. *Gesta Liberii papæ*, §§ 2, 3.

4. *Gesta Liberii papæ*, §§ 3, 4, 5.

5. *Gesta Liberii papæ*, §§ 7, 8.

stantii satellitibus clam raptum et Mediolanum ad principem abductum[1] comitatus est Damasus[2], nec eum dereliquit nisi quum Beroam, ad Thraces[3], Liberius fuisset relegatus, nec liceret cum eo diutius manere.

De illo tamen Damaso, donec a Liberio sic est electus qui Romanæ ecclesiæ curam gereret, pauciora quidem apud eos qui pristinos collegerunt annales, reperimus; quod tamen ex illorum dictis, quamvis sæpe inter se discrepantibus, constare visum est, breviter exponamus.

Genere quidem Hispanus, sed civitate Romanus, Vimaraense, pusillum Lusitanorum oppidum, haud longe a Bracara Augusta, Damasus ortu suo nobilitavit. Qua de re non omnes consentiunt prudentes viri, et Baronio[4] Pagioque[5], Perezio[6], et Ciacconio[7], necnon et doctissimis Actorum Sanctorum editoribus[8] Damasum Hispanum ortu asserentibus, res est cum Tillemontio[9] qui eum Romanum in Urbe ipsa ab Hispano patre genitum dicit. Immerito quidem, nam commune et Anastasii[10] olim in Romano tabulario custodis, et

---

1. Theodoret., II, XIII, XIV. — Amm. Marcellin., XV, VII.
2. Faustini et Marcellini *Libellus precum,* § 1 (*Patrol. lat.*, t. XIII). — Merenda, *De sancti Damasi papæ opusculis et gestis,* cap. I, § 2 (*Patrol. lat.*, t. XIII).
3. Theodoret., II, XIII, XIV. — Sozomen., IX, XI. — Faustini et Marcellini *Libellus precum,* § 1.
4. Baronii *Annales,* ann. 384, § 16.
5. *Breviarium gestorum pontific. Roman.*, p. 77.
6. *Damasus et Laurentius Hispanis asserti et vindicati,* auctore Fr. Perezio Bayero, pars prior, *De Damasi patria* (*Patrol. lat.*, t. LXXIV, col. 553).
7. Ciacconius, *Histor. Pontif. Roman.*, p. 108.
8. Bolland., aprilis, t. I, p. 32.
9. Tillemont, *Mém.*, t. VIII, *Saint Damase,* art. 1, p. 386, 387.
10. Anastasii Bibliothecarii *sancti Damasi Vita* (*Patrol. lat.*, t. CXXVIII, col. 71). — Merenda, *in Addendis post Damasi carmina* (*Patrol. lat.*, t. XIII, col. 417).

apud Hispanos concors vulgi doctorumque testimonium, Damasum ortu Hispanum probat.

Pater ejus Antonius, patria relicta, cum uxore duobusque natis admodum parvulis, Damaso scilicet et Irene, Urbem petiit ibique sedem suam collocavit. Diris equidem ominibus, nam Diocletianus christianis infensus mox edixit ut ubique terrarum deturbarentur ecclesiæ, et vi tormentorum christiani ad immolandum idolis cogerentur[1]. Cujus ut sævitiam effugerent christiani, latebrosas cœmeteriorum in foveas secedebant, viarumque dolo et variarum ambage semitarum muniti, ibi ritus suos celebrabant. Quin etiam multi, Urbe derelicta, omnia secum agentes ad cryptas cum familia tota migrabant, domicilioque sibi comparato, vitam sepulti quidem at saltem quieti degebant, donec periculis Deus finem faceret. Inter quos sane fuit Damasus noster a patre pæne infans adductus, qui, Maximiano erga christianos in Urbe post Diocletianum sæviente[2], usque ad quartum circiter ætatis suæ annum ibidem crevit. Nec cryptas, carnificibus in Urbe a Maxentio Augusto paululum cohibitis[3], deseruit Damasus, at contra frequens reversus earum quasi incola exstitit. Ejus enim pater, qui ecclesiasticorum munerum petitione non abstinuerat, exceptoris[4] primum, qui scilicet

1. Eusebii *De Vita Constantini*. I, XIII, XV; *Histor. Eccles.*, VIII, II, III, XIII. — Constantini *Oratio ad Sanct. Cœtum*, cap. XXV (*Patrol. gr.*, t. XXVI). — Bolland. januarii, t. I, dies 11. — Lactantii *De mortib. persecut.*, cap. XV. — *Chron. Alexandriæ*, A. C. 303 (*Patrol. gr.*, t. XCII).

2. Baronii *Annales*, A. C. 301, §§ 18, 19. — Baluzii *Miscellanea*, t. II, p. 47, 48 (Parisiis, 1677). — Baronius, *in Martyrologium*, ad 16 septemb., note D (Antuerpiæ, 1613).

3. Eusebii *Histor. Eccles.*, VIII, XIV.

4. Sancti Damasi *carmen XXV* (*Patrol. lat.*, t. XIII, col. 409, 410).

res a martyribus dictas gestasque diligenter conscriberet[1], et mox lectoris[2] gradum apud sancti Laurentii ecclesiam obtinuit. Quæ autem ecclesia non eadem erat quam postea divus Constantinus in agro Verano, haud longe a Magni theatro, condidit[3], at modicum quidem et humile delubrum supra sancti Laurentii cryptam, haud paucis ab annis[4], ædificatum.

Ibi Damasi pater, quum lectoris munus aliquandiu implevisset, tandem, uxore defuncta, diaconus et sacerdos evasit[5]. Juxta quem Damasus a puero in eadem sancti Laurentii crypta institutus, cryptarum latebras quasi natales habuit, et vix tertium decimum annum agens lectoris gradum obtinuit[6]. Ibi ab Urbe remotus vitam quietam egit, et, quiete feliciter usus, mox romanos inter clericos emicuit[7]. Litteris enim studuit, easque non, ut sæpissime fit, odoratus tantum, sed plane perscrutatus, tantam sibi latini sermonis peritiam atque elegantiam comparavit, ut inter æquales scriptores longe præstiterit[8]. Neque in secularibus solum, at in divinis etiam litteris enituit, et ad Scripturarum intelligentiam[9] animum suum adjecit. Otium suum in visendis quotidie cryptis consumebat, earum enim valde

---

1. Anastasii Biblioth., *Vita sancti Clementis*, § 5; *Vita sancti Fabiani*, § 5
2. Sancti Damasi *carmen XXV*.
3. Anastasii Bibliothecarii *Vita sancti Sylvestris*.
4. Sancti Optati Milevitani *de Schism. Donat.*, lib. II. — Eusebii *Histor Eccl.*, VIII, II, XIV.
5. Sancti Damasi *carmen XXV*.
6. *Id.*
7. Sancti Hieronymi *Epist. XLVIII*, § 18, ad Pammachium (*Patrol. lat.*, t. XXII).
8. Sancti Hieronymi *Epist. XXII*, § 22, ad Eustochium; *de Viris illustr.*, cap. III.
9. Sancti Hieronymi *Epist. XLVIII*, § 18, ad Pammach.

studiosus erat, utpote in quibus, dum sæviebant gentiles, delituisset, earumque vias et dolos multos per annos expertus, usu suas fecit. Pium enim christiani tunc habebant tales ultro incolere recessus et ubi tamdiu, quum in supplicium vindicarentur, sese abdiderant, ibi vitam adhuc degere[1]. Frequentes etiam ibi longa per atria aspiciebat Damasus viros tenebris quasi addictos et qui nunquam fere superioris limina lucis tangebant, fossores[2] dico qui in utroque viarum pariete martyrum ossa condebant et assiduo labore nova sub agri superioris aggere moliebantur itinera[3]. Inter quos sane superstites nonnullos Damasus salutabat a quibus olim in cryptis cum patre benigne fuerat exceptus[4], e quibus etiam, dum martyrum lapidibus sive florem inflexum, sive cymbam aut avem fugacem, vitæ brevis imaginem[5], inciderent, Damasus omnia martyrum audiebat certamina, quantis tormentis confecti, quamférociter passi, quam pulchre pro Christo functi essent. Quibus commotus redibat Damasus pristini temporis in memoriam, quum puer in cryptis vitam ageret : tunc enim sæpe piis allata manibus humana corpora aspexerat pavens, quæ sanguine madida pater tamen materque et omnes circum alacres osculabantur, et quæ mox in pariete sub marmore condita adductus a matre venerabatur[6].

1. Darras, *Hist. de l'Église*, t. X, ch. II, p. 226, 227.
2. Marchi, *Monumenti dell' arti cristiane primitive*, p. 26 (Romæ, 1844). — Ignace Mozzoni, *Tableaux chronologiques-critiques de l'histoire de l'Église universelle*, IIe siècle, note 16 (traduction de l'abbé Joseph Sattler, Bar-le-Duc. Louis Guérin, 1865).
3. Vias novas usque ad quinti sæculi initium sic aggressi sunt (Mozzoni, *Tableaux chronologiques*, note 16).
4. Faustini et Marcellini *Libellus precum*, § 3.
5. Ozanam, *la Civilisation au* Ve *siècle*, 19e leçon, p. 270, 276.
6. Sancti Hieronymi *in Ezechiel*, cap. XL. — Ozanam, p. 268, 269.

Tunc necis tempus, supplicii locum genusve, prætoris, carnificis nomen, et ab unoquoque gesta dictaque inquirebat, jubebatque se ad singulorum sepulcra duci, omniaque per ordinem narrari. Inde reversus tabularii tecta [1] petebat ubi martyrum annales vicissim ab exceptoribus [2] fidissime consignatos manu cupida versabat; quin etiam carnifices ipsos adibat [3] et per eos quantam virtutem præstitissent martyres cognoscebat.

Tanto martyrum insignis amore Damasus sedis Romanæ diaconus creatus [4] est, qui scilicet cryptis et martyrum lapidibus custos præponeretur; diaconis enim qui perpauci in ecclesia Romana erant, præcipuum datum erat negotium ut martyrum tumulos diligenter excolerent [5]. Quo munere diu functus, a Liberio pontifice, quum in cryptarum penetralia confugit, ecclesiæ Romanæ rector et quasi hujus navis tantis jactatæ fluctibus gubernator constituitur [6]. Rapto autem in exsilium Liberio, utrum Felici in locum Liberii ab Arianis intruso [7] paruerit, necne, alii videant: hoc tantum afferre volumus, reducem apud Liberium haud in minori gratia Damasum fuisse [8].

Tandem, e vivis sublato Liberio, Damasus ipse in sancti Laurentii basilica nuper a Constantino supra martyris sepulcrum excitata, summus Pontifex saluta-

---

1. Sancti Damasi *carmen XXV*.
2. Anastasii Bibliothecarii *Vita sancti Fabiani*, § 5.
3. Sancti Damasi *carmen XXIII*.
4. Faustini et Marcellini *Libellus precum*, § 1.
5. Anastasii Bibliothecarii *Vita sancti Sylvestris*.
6. *Gesta Liberii papæ*, § 3.
7. Theodoreti *Histor. Eccles.*, II, XIV. — Rufin., II, IV.
8. Merendæ *Prolegom.*, I, IV. — Faustini et Marcellini *Libellus precum*, *præfat.*, § 2.

tus est[1]. Quod quidem ægre ferentes qui Damasum arguebant Felici ab Arianis constituto libenter paruisse[2], et in Sicinii basilicam juxta forum Exquilinum non longe a Liviano macello undique convenientes[3], Ursicinum, ecclesiæ quemdam Romanæ diaconum, magno clamore contra fas elegerunt[4]. Inde tumultus ingens, cædes multorum[5], tantaque inter cives discordia, ut uterque præfectus simul Urbem deseruerint[6]. Victi tamen armis, qui Ursicino favebant, Damasum falsis criminibus appetiverunt[7], ejusque vitæ integritatem impugnarunt; quam tamen plane intactam palam agnoverunt[8] quum Gratianus princeps[9] tum omnes ex Occidentalibus finibus episcopi in Urbem primum[10] postea Aquileiam[11] convocati. Quæ quidem fusius narrare in animo non habemus, utpote quæ simul a Pagio, Ciacconio, Baronio, Tillemontio, aliisque multis ad unguem sint relata[12].

---

1. Rufini *Histor. Eccles.*, II, x. — Socratis *Histor. Eccles.*, IV, xxix. — Theodoret., II, lxvii.

2. Socratis *Histor. Eccles.*, IV, xxix. — Rufin., II, x. — Sancti Hieronymi *Chronic.*, A. C. 366. — Amm. Marcell., XXVII, 3.

3. Anastasii Bibliothecarii *Vita sancti Liberii.*

4. Rufini *Histor. Eccles.*, II, x. — Amm. Marcell., *Hist.*, XXVII, 3. — Socratis *Histor. Eccles.*, IV, xxix. — Sozomen., *Histor.*, VI, xxiii.

5. Sancti Hieronymi *Chron.*, A. C. 366. — Faustini et Marcellini *Libellus precum*, §§ 2, 3. — Rufini *Histor.*, II, x.

6. Amm.-Marcell., *Hist.*, XXVII, iii.

7. Pagius, *Breviarium gestorum*, p. 80.

8. *Epistola synodi in Urbe congregatæ Gratiano et Valentin.* (*Cod. Theodos.*, édit Godofred., t. VI, append., p. 18).

9. *Ex rescripto Gratiani Aug. dati ad Aquilin. Vic. Urbis* (*Cod. Theodos.*, appendix a Sirmondo edita, p. 84, 91).

10. Tillemont, *Mémoires*, t. VI; *saint Damase*, art. 10, p. 409, 410.

11. Sancti Ambrosii *Epist. XI*, §§ 4. 5 (*Patrol. lat.*, t. XVI). — Bolland., aprilis, t. I, p. 32.

12. Pagi, *Breviarium*, t. I, p. 80. — Ciacconii *Histor. pontif. Roman.*, p. 108, 107. — Baronius, ann. 367, 388. — Tillemont, *Mém.*, t. X, p. 386, 415. — La-

Magnus sane inter Romanos pontifices eminet Damasus, præclarisque actis insignis apud nos evasit.

Urbem enim partibus et dissensionibus et discordiis fere confectam multo labore et cura pacavit, et Ursicini fautores, nec non eos qui Luciferi et Donati partes tenuerant, et a quibus diu fuerat exagitatus, tandem, divi Valentiniani fretus auxilio, ab Urbe expulit[1].

Luxuriam præterea et inexplebilem auri sitim apud clericos vi legum compressit, quorum scilicet haud pauci alienis divitiis inhiantes, a pupillis, senibusque ac viduis mulieribus contendebant, ut vel in præsenti muneribus donarentur, vel ex aliqua parte adscriberentur heredes[2]. Quam ut cohiberet avaritiam, Damasus a Valentiniano rescriptum impetravit quo clericis neque e testamento neque e donationibus capere liceret[3]. Sibi etiam summisque in posterum pontificibus majorem auctoritatem et causarum omnium in quibus de clerico aut sacerdote episcopove ageretur, summam cognitionem comparavit[4].

Nec litterarum minus quam auctoritatis studiosus, Novum Testamentum et antiquos Davidis et Hebræorum vatum hymnos, longo quidem deformata usu et crebra infecta labe, restituenda curavit. Quo munere

---

grange, *Hist. de sainte Paule*, ch. I, p. 17 (Paris, Poussielgue, 1867). — Darras, *Hist. de l'Église*, t. X, c. II, p. 231, 247 (Paris, Vivès, 1867). — Amédée Thierry, *Saint Jérôme*, liv. III, p. 103, 106.

1. Marcellini et Faustini *Libellus precum*, §§ 22 à 24. — *Cod. Theodos.*, append., p. 90, 96. — Amm. Marcell., XXVII, III. — Baronius, ann. 371, §§ 2, 5; ann. 381, §§ 2, 7. — Pagius, *Breviarium*, p. 80.

2. Sancti Hieronymi *Epist. LII*, § 6, ad Nepotianum.

3. *Cod. Theodos.*, loi 20, *de Episcop. et Clericis* (XVI, II). — Sancti Ambrosii *Epist. XII*.

4. *Cod. Theodos.*, appendix a Sirmondo edita, p. 80, 85, 86 (Paris, 1731). — — Blondel, *de la Primauté en l'Église*, p. 165 (Genève, 1641, in-fol.).

jussus a Damaso functus est Hieronymus ille qui mox fama sua totum orbem implevit. Ipse enim liberalibus studiis plane eruditus Novum Testamentum[1] et Davidis cantus[2] Latino quidem sermone, sed Graio et Hebraico fonte attente collata edidit, puraque et sincera ingenti labore præbuit.

Nec intestinis tantum consuluit rebus Damasus, at externis etiam curam adjecit, quæ quidem magno in discrimine tunc pendebant. Triplici enim factione, ab Arii[3] scilicet et Macedonii[4] et Apollinaris[5] fautoribus, oppressi, qui in Orientis finibus orthodoxorum dogmatum exstabant propugnatores sensim deficiebant, et jam providere erat mox venturum tempus quo rectam deserentes fidem, ruptoque fœdere Orientales populi Romanorum pontificum jura et jussa spernerent. Favente enim Valente[6], Valentiniani principis fratre, Ariani, quamvis nuper a Juliano Jovianoque, utpote qui alter paganorum, alter orthodoxorum partibus favissent, cohibiti, ubique nunc in orthodoxos episcopos sæviebant, et catholicum populum multis ærumnis cruciabant[7]. Quos ut comprimeret, aut saltem, quid de illis

---

1. Sancti Hieronymi *Præfat. in quatuor Evangel.*, beatissimo papæ Damaso (*Patrol. lat.*, t. XXIX, col. 525 à 530). — *De Viris illustr.*, cap. 135. — *Epist. LXXI*, § 5, ad Lucinium. — *Epist. XXVII*, § 1, ad Marcellam.

2. Sancti Hieronymi *Præfat. in libr. Psalmor.* (*Patrol. lat.*, t. XXIX, col. 117, 118). — *Epist. CVI*, § 2, ad Sunniam et Fretellam.

3. Theodoreti *Histor. Eccles.*, IV, XII, XVI. — Socratis *Histor. Eccles.*, IV, II, VI, XV.

4. *Chron. Alexandriæ*, A. C. 381. — Socratis *Histor. Eccles.*, V, VIII. — Sozomen., *Histor. Eccles.*, VII, VII.

5. Sancti Basilii *Epist. CCLXIII.*

6. Theodoreti *Histor. Eccles.*, IV, XI, XII. — Philostorgii *Histor. Eccles.*, IX, III (*Patrol. gr.*, t. LXV). — Sozomen., *Histor. Eccles.*, VI, VI.

7. Theodoreti *Histor. Eccles.*, IV, XII, XVI, XXII, XXIII. — Socratis *Histor. Eccles.*, IV, II, VI, XV, XVIII, XXVI. — Sozomen., VI, VII, IX, X, XIV, XVIII.

existimaret palam ut profiteretur, Damasus, convocatis in Urbem Gallis et Hispanis Italisque episcopis, impia Arianorum dogmata aperte reprobavit[1].

Bello Arianis sic denunciato, Macedonianos aggressus est, et illum qui apud eos præcipuus habebatur et quasi dux, Auxentium Mediolanensem episcopum, Damasus, coactis in Urbem tribus et nonaginta episcopis, damnavit[2]. — Nec aliter Apollinaristas habuit, tertiaque collecta synodo, omnes qui hoc errore fuerant decepti, ab ecclesia et sedis Romanæ societate segregavit[3].

Tantis rebus insignem et quasi catholicarum partium principem[4] eum, urgentibus Arianis[5], ter in auxilium sibi vocaverunt Orientales episcopi[6]. Ferocem enim ponentes animum sanctus Basilius, optimo quidem jure dictus Magnus[7], et uterque Gregorius, alter Nazianzenus, alter Nyssenus, Damasum quasi orthodoxorum ducem et judicem, ter litteris et nuntiis ut sibi ab Arianis quam maxime exagitatis opem ferret, valde flagitantes rogaverunt[8].

Dein rebus in Orientis partibus a Theodosio Magno compositis[9], rursus tumescentes cohibuit Orientales

1. Sancti Athanasii *ad Honorat. in Africa episcop.*, Epist., § 1. — Pagius, *Breviarium*, p. 78. — Baronius, ann. 360, § 36.

2. Sozomen., VI, XXIII. — Theodoret., II, XXII.

3. Sozomen., VI, XXV. — Rufin., II, 10. — Theodoret., V, X.

4. Sancti Hieronymi *Epist. XV*. — Labbæi *Concil.*, t. III, p. 240; t. IV, p. 286.

5. Theodoret., IV, XII, XIII, XVI, XXII, XXIII.

6. Sancti Basilii *Epist. CCV*, *CCXL* (*Patrol. gr.*, t. LXXXII).

7. Theodoret., IV, XVI. — *Verba Patrum Chalcedonens. Synodi* (Labbæi *Concil.*, t. IV, col. 295).

8. Sancti Basilii *Epist. LXX*, *XCXII*, *CCXL*, *CCLXIII* (*Patrol. gr.*, XXXII, col. 478, etc.).

9. Socrat., V, VII, X.

Damasus, eorumque insolentiam compescuit: quæ enim Romæ novæ decreta contra fas promulgaverant, ea accipere recusavit, et sic irrita fecit [1], donec illorum precibus adductus ea tamen confirmaverit [2].

Thessalos præterea et Achaicos Epirotasque et Macedonios populos inter Occidentales prius habitos, sed a Gratiano principe Theodosio Magno una cum Orientalibus provinciis traditos, novi fœderis vinculo, ne Romanorum pontificum auctoritatem respuentes Constantinopolitanis episcopis ultro parerent, Romanæ sedi conjunxit. Thessalonicum enim episcopum legatum suum et omnium in hac regione episcoporum principem et ductorem constituit, cui scilicet cæteris præesse, eosque in conventum cogere, et dissidentes conciliare aut errantes damnare liceret [3].

Tandem senio gravis et quasi morte sub ipsa supplicem habuit et ante pedes jacentem Symmachum illum, insignem eorum, qui tunc falsa numina colerent, ducem et summum pontificem, divitiis etiam et eloquentia, muneribus et stirpe pollentem, quem, quum apud Theodosium falso argueretur quasi qui christianis infensus de iis pessime esset meritus, Damasus, missis ad principem epistolis, purgavit, et, ut absolveretur, curavit [4].

Quæ quidem omnia magnam Damaso famam cir-

---

1. Sozomen., *Histor. Eccles.*, VII, XI. — Tillemont, *Mém.*, t. X, saint Grégoire de Nazianze, art. 80, p. 499, 500.

2. Pagii *Breviarium*, p. 81.

3. Christiani Lupi *de Romanis appellationib.* (Moguntiæ, 1681), p. 627. — Theodori Lectoris *Hist.*, t. II, p. 580, ex edit. Valesii (Parisiis, ann. 1673). — *Veterum Roman. Eccles. monument. collectio*, ab Holstenio edita, t. I, p. 48, 49 (Romæ, 1662). — Blondel, *de la Primauté en l'Eglise*, p. 627 (Genève, 1641).

4. Symmach., *Epist.*, liv. X, epist. XXXIV. — Tillemont, *Empereurs*, *Théodose*, I, § 25.

cumdederunt, eumque in insigni inter Romanos pontifices loco constituerunt, sed haud inferiores inter vates christianos partes poetica opera ei obtinuerunt. Quamvis enim carmina quæ de sacris Scripturis et de servatæ virginitatis singulari virtute conscripsit[1], eadem qua res Romana clade interciderint et nunc amissa desiderentur, versus tamen quos martyrum in honorem fecit, etsi vetustate annorumque injuria elisi, nobis, quasi invitis fatis, superstites manserunt.

De his autem est nunc disputandum, et quam sint elegantes et jucundi, quam veneribus et omni musarum lepore ornati, quam breves etiam et in ipsa hac brevitate diserti, quam tenerum et molle spirantes, et præsertim quantum possint ad promovendas animi vires, existimandum.

At quo plenius dignoscere liceat quam ingeniosus et solers in deprehendenda, quam felix in excudenda hac nova materia, quam sagax in animi sensibus ad vivum exprimendis, quam mollis et natura benignus, quam simplex verbis et dicendi genere rectus, et tamen ipsa rerum amplitudine et animi altitudine grandis fuerit Damasus noster, haud inutile forsan videbitur prius existimare quales inter Christianos, a Constantini temporibus Damasum usque, fuerint poetæ, quas res, quamque materiam carminibus sint aggressi, quid ingenii viribus et arte valuerint, quibus spectabiles dotibus, et, ut ita dicam, qualis fuerit ante Damasum christianis Camenis vultus.

---

1. Sancti Hieronymi *de Viris illustr.*, cap. CIII; *ad Eustochium, Epist. XXII*, § 2; *ad Pammach., Epist. XLVIII*, § 18.

II

DE IIS QUI ANTE DAMASUM INTER CHRISTIANOS VATES EXSTITERUNT.

Qui quidem inter christianos, usque ad Damasi tempus, studium poeticæ fovissent, in id studuerant maxime, ut christianos fastos carminum blandimento et illecebris induerent, et sic christianorum animum ab iis, qui præclare quondam falsa cecinerant numina, melius averterent. Haud pauci enim divum Constantinum, quum ad christianos se inclinasset, minime secuti, in colendis diis perseverabant [1], et sive consuetudine, sive contumacia quadam [2], sive pristinæ reipublicæ gloriæ memoria, sive etiam gentis superbia delusi [3], christianam respuebant fidem, cui etiam ante omnes repugnabant adolescentes, qui, rhetorum in scenas de-

1. Eusebii *Vita Constantini*, lib. II, cap. L, LX. — Zosimi *Histor.*, II, §§ 29, 30. — Chastel, *Hist. de la destruction du paganisme dans l'empire d'Orient*, p. 64, 67, 75, 76.

2. Ozanam, *la Civilisation au* v^e^ *siècle*, t. II, leçon 17, p. 208.

3. Beugnot, *Hist. de la destruction du paganisme dans l'empire d'Occident*, Introduct., p. 34, 36. — Ozanam, *la Civilisation au* v^e^ *siècle*, t. I, leçon 4, p. 136, 137. — Amm. Marcell., XXVIII, IV.

ducti, inde omnem paganorum disciplinam hauriebant[1]. Intima namque familiaritate et quasi quodam agnationis jure inter se cohærebant musarum studia et sacra deorum, et uno eodemque verbo significari utraque solebant[2]. Divi enim Homeri, Æschylive aut Flacci Maronisque assidua evolventes carmina qui rhetorum studebant in officinis, splendidos deorum fastos explorabant, eorum iras, amores, casus, bella, præclaraque omnia facinora poetico cultu et lætitia exornata ultro excipiebant[3], rigidam christianorum disciplinam plane horrebant, simplicemque et nudam Apostolorum narrationem aversabantur[4]. Nec minus efferam Scripturarum majestatem christianum verebatur vulgus, nec nisi invitum terrenda sæpe Hebraicorum vatum dicta minasque legebat, quæ quidem docti fastidio, indocti vero reverentia declinabant. Idcirco christiani intellexerunt opus esse ut proprios annales et Scripturarum elatam quidem sed incultam sæpe et agrestem orationem poetici sermonis lætitia et colore fucarent, jucundamque, si liceret, efficerent[5]. Cui quidem arti quum extemplo haud pauci sese dedissent christiani[6], novum Musis aperuerunt campum et Christi laudes aut sacræ historiæ fastos iis-

1. Ozanam, *la Civilisation*, t. II, leçon 18, p. 229.

2. Chastel, *Hist. de la destruction du paganisme dans l'empire d'Orient*, 1re partie, 1re période, section III, p. 98, 99.

3. Ozanam, *la Civilisation au* ve *siècle*, t. II, p. 229.

4. Sedulius, *Epist. ad Macedonium*, col. 538 (*Patrol. lat.*, t. XIX). — Chastel, *De la destruction du paganisme dans l'empire d'Orient*, 1re partie, 1re période, sect. III, p. 99.

5. Sedulius, *Epist. dedicat. ad Macedon.*; col. 538.

6. Sancti Hieronymi *Epist. LXX*, § 5, ad Magnum (*Patrol. lat.*, t. XXII). — Ozanam, *la Civilisation au* ve *siècle*, leçon 18, p. 226 et 227. — Isidori Hispanensis *Origin.*, lib. I, cap. XXXVIII, § 5.

dem fidibus aptarunt nuper falsorum numinum in honorem pulsatis [1].

Hic, cujus nomen oblivione obruitur, Christum summa cruce erectum et christianos quasi alloquentem inducit[2] : quot et quanta pro hominibus sit passus, quo non exercitus dolore, cujus ignarus mali! Confidant ergo homines, tantaque inspicientes mala, humana pati discant, parique virtute domitas in corde libidines contineant, victoresque cœlestem auferant palmam. Sic Christi voce et exemplo christianis animum addit poeta, et nobili carmine omnem Scripturarum doctrinam et quasi succum exprimit.

Ille (nomen ejus quoque intercidit) Deum canit et quæ in homines contulit beneficia, virentemque laudat vere redeunte terram, uvas nectare tumentes, flavamque per campos messem[3].

Alius, ut per agricolas christianam diffundat fidem, arrepta pestis occasione quæ per Belgarum et Illyriorum Pannoniorumque fines late omne pecudum straverat genus [4], crucis signi virtutem canit quæ pecora ab exitio vindicat. Maronis canoras quasi excipiens fides, disputantes inter se pastores inducit, amissaque morbo pecora lugentes, et morbi signa mortisque viam non sine lacrymis inter se narrantes. Quorum tamen mox allevat curas quidam inter christicolas pastor,

---

1. Sedulius, *Epist. dedicat. ad Macedon.* — Ozanam, *la Civilisation*, t. II p. 229, 230.
2. Anonymi *de Passione Domini* (*Patrol. lat.*, t. VII, col. 283).
3. Anonymi *de Laudibus Domini* (*Patrol. lat.*, t. XIX, col. 380).
4. Rufini *in Eccles. histor. præfat.* (*Patrol. lat.*, t. XXI, col. 461). — Sancti Ambrosii *Comment. in Lucam*, lib. X, cap. XXI, vers. 9 (*Patrol. lat.*, t. XV).

qui narrat Christi ope propria pecora servata, impositoque fronti crucis signo a tabe plane sincera [1].

Alius, cujus ignoti nos diu latuerunt versus, paganos, quod a Theodosio debellati imperium tandem christianis cessissent, pugnaci carmine insequitur [2]. Virum quidem in Urbe paganorum nuper principem, Flavium Monomachum, incessit, eique spem vanam victosque sine certamine deos jacit. Ille enim, quum rebellanti Eugenio secundus Urbem contra Theodosium muniisset, eamque pristinis numinibus quasi vindicandam majorum more lustrasset, tandem Alpestria per cacumina armis superatus, ultro, ne christicolam principem salutis auctorem haberet, voluntario obierat funere. Cui tamen virtute illa et nobili letho haud motus illudit poeta, eique turpes, quibus laborabat, mores exprobrat, casumque gravem irridet, at a Camenis ipse deceptus crebro sermonis errore labitur, iramque suam parum stanti carmine effundit.

Alius etiam, magnificentia quadam et amplitudine præcellens, Christum morte oppressum mortisque subito ululantia invadentem regna laudat. Solito quidem poetarum veterno Tartareisque, ut tunc mos erat, nugis primum inserviens, Plutonem ostendit infernosque proceres bellum intranti denunciantes ; at mox, stulta hæc et insulsa respuens, seque vere christianum gerens repentino canit inhorrentia lumine, Christo accedente,

1. Severi rhetoris et poetæ *Carmen bucolicum de virtute crucis signi Domini* (*Patrol. lat.*, t. XIX, col. 797 à 800). — Severi sancti Endelechii *Carmen bucolicum de mortibus boum* (edidit Ferdin. Piper, Gotting., 1835).

2. *Revue archéologique*, 9e année, nos 6, 7, juin et juillet 1868. — *Recherches sur un poëme latin du IVe siècle, retrouvé par M. Léopold Delisle.* — De Rossi, *Bullet. d'archeolog. christian.*, ann. VI, nos 4, 5.

Tartara, eique pristinorum hominum occurrentes umbras. Quam tener et mollis veterem Adamum, cladis simul et salutis auctorem, ante pedes Christi adducit flentem, et juxta eum Judaïcæ stirpis patres Abraham et Jacob ! Quam grandis Hebraicos vates, et ante omnes Mosem et Davidem, de Christi, e longinquo ab iis quasi prospecti, præsentia monet ! Quam sublimis etiam fortes, quibus diu eminuit Judaica gens, duces evocat, Josue primum, et longo ultimum ordine, non virtute, Machabæum Judam! At brevior quidem et festinans nimis hæc tanta, quæ pulchris aggreditur carminibus, maturius absolvit, carmenque longum sperantibus vix modicos versus indulget [1].

Nec tui, generosa mulier, immemor evadam, quæ Maronem non solum imitata sed quasi furata, paganam Musam christiane loqui coegeris. Propriis namque Virgilii carminibus recentis orbis pulchritudinem, et ingentem communis parentis cladem cecinisti, et inde, mira tanti luctus solatia, Christum humano pro genere morientem ostendisti [2].

Quid contra de Optatiano Porphyrio [3]? Nil equidem ; vix enim poetam eum dicimus, qui diligentiam magnam sane, non ad proprium versuum leporem, non ad ap-

1. Anonymi *Triumphus Christi heroicus* (*Patrol. lat.*, t. XIX, col. 388). — Hæc Juvenco quidem olim assignata ab anonymo tamen et ignoto quodam auctore conscripta fateri oportet; Juvenci enim orationis genus lentumque in carmine gressum minime præbent.

2. Val. Falconiæ Probæ *Centones Virgiliani ad testimonium Veteris et Novi Testamenti* (*Patrol. lat.*, t. XIX, col. 803, 818). — Isidori Hispanens. *Origin.*, lib. I, cap. LVIII, § 5.

3. Publii Optatiani Porphyrii *Panegyricus Constantino Augusto dictus* (*Patrol. lat.*, t. XIX, col. 395, 432). — Sancti Hieronymi *Chronic.*, ann. 23 Constantini Magni. — Bedæ Venerabilis *de Arte metrica* (*Patrol. lat.*, t. XC).

tanda æquis fidibus carmina, adhibuerit, sed ut litteras ipsas, quibus verba constant, insolenti quodam et obliquo ordine disponeret, et sic figuras quasdam sive navis, sive crucis aut aræ describeret, junctisque ita inter se litteris nova etiam obtineret carmina. Quæ quidem, quamvis apud Constantinum valuerint [1], ultro tamen irrideremus, nisi a misero vate, ut ab iniquo exilio revocaretur, magno molimine, quasi altera Tristia, essent conscripta.

At christicolas inter duo præsertim eminuere poetæ, Juvencus [2] et Sedulius [3]. Ambo non rara carmina, sed plures versibus libros conscripserunt, ambo nobili carmine christianos explicaverunt annales, et res a Christo actas dulci Musarum lingua retulerunt. Ambo assidua cum Flacco et Marone præsertim familiaritate ornati vatum dulcia mendacia veritati aptarunt et Scripturarum rigida quidem et majestate quasi inhorrentia verba versuum illecebris et Musarum veneribus temperaverunt.

Ne tamen ingenio et arte pares inter se Juvencum et Sedulium dicamus: tristis enim et in ipsa carminum lætitia exsanguis et frigidus Juvencus videtur, proprio Scripturarum sermoni nimis inhærens, verbo verbum reddendum curat, et veritatis magis quam Musarum studiosus, ingenium simul et carmina reprimit, ita ut versificatorem potius quam poetam eum merito dicas. At contra, si vere poetam legere cupias, Sedulium [4] cu-

---

1. Constantini *Epist. ad Porphyrium* (*Patrol. lat.*, t. XIX, col. 395).
2. Caii Vettii Aquilini Juvenci *Evangel. historiæ*, lib. IV (*Patrol. lat.*, t. XIX, col. 53, etc.).
3. Cœlii Sedulii *Carmen paschale* (*Patrol. lat.*, t. XIX, col. 549, etc.).
4. Fortunati *Vita sancti Martini*, lib. I, vers. 15 (*Patrol. lat.*, t. 88). — Sancti Isidori Hispanensis *in Bibliotheca versus* (*Patrol. lat.*, t. LXXXIII).

riosa manu evolve. Quam prudens, quam sagax pristinorum poetarum carmina sibi vindicat, et eorum quasi publicos versus lepidis juncturis suos et quasi novos facit ! Ut in componendis carminibus jungendisque versuum numeris magister exstat ! Canit Sedulius, neque, sicut Juvencus, narrat, nec carmine lento arcana christianorum pandit, sed quasi soluto pede procedit, et eruditionis varietate dives, lepore et lætitia sermonis concinnus probatur.

Attamen, quamvis ex eorum carminibus deprehendere liceat nullius ingenuæ artis scientiam nec Sedulio, nec Juvenco, nec multis aliis inter christianos poetis defuisse, quamvis sæpe viribus ingenii conspicui, et mira etiam arte in componendis versibus insignes, tamen nil magni, nil præclari nobis tradiderunt : nunc ignoti jacent et nostra ætate neglecta eorum exolevit memoria. Pio carminis sui amore deceptus Juvencus clamat :

> Nobis certa fides æternæ in sæcula laudis
> Immortale decus tribuet, meritumque rependet [1] !

Sed frustra : quis nostrum, quis nunc ejus evolvit opera ? quis ejus carmina, quamvis olim ab Hieronymo et Fortunato Isidoroque Hispanensi laudata [2], sustineat ? Si quando etiam eorum codices evolvamus, poetam non poema, opificem non opus miramur, aut potius illius miseremur ; nam doctrina præstantes, probanda sæpe

---

1. Juvenci *Evangel. histor. præfat.*, vers. 25, 26.
2. Sancti Hieronymi *de Viris illustr.*, cap. LXXXIV. — *In Matthæum*, lib. II, cap. II, § 11, — *Chronicon*, ad ann. Domini 332. — Fortunati *Vita sancti Martini*, in princip. (*Patrol. lat.*, t. LXXXVIII). — Isidori Hispanensis *in Bibliotheca versus* (*Patrol. lat.*, t. LXXXIII).

arte et in eligendis verbis diligentia distincti, nil nisi frigidum quiddam et exsangue quod tædium afferat, effecerunt.

Quod eis non nisi proprio materiæ vitio accidit: quid novi enim, quid commodi ex eorum carminibus nunc excipimus? Quos versibus evolvunt fastos, hos a puero in mente habemus, hos ex Evangeliorum scriptoribus quasi ex ipsa veritatis voce, accepimus, et Joannis aut Marci sociorumque simplex quidem et nudum, sed elatum dicendi genus, vanæ poetarum facundiæ, qui tanti momenti res propria nugarum lingua pandunt, longe anteponimus. Si saltem, ut apud recentiores haud ignobiles poetæ, pusillum de recta Scripturarum via deflectentes et sacris non inservientes libris, nonnihil ingenio suo indulgerent, si quid interdum voluptatis causa ficti adducerent, lectoremque operis varietatibus, colore sententiarum, nitore et cultu descriptionum captarent! At quasi Scripturarum e verbis pendentes, nil aliud pensi habent nisi ne quid in sacris immutetur litteris, nunquam flentes ipsi, nunquam irascentes, nos ad lacrymas aut ad æquam iram compellunt, et Christi vitam, dolores, tormenta et necem placido et lento carmine narrant.

Nil mirum : cujus enim vitam exponunt Jesus Christus ille, quamvis patientia sublimis, misericordia et benignitate plane amabilis, suavi quadam et invicta animi fortitudine præstans, quamvis ingenio princeps et mira insignis prudentia, quamvis a Judaica omni gente oppressus, summaque confectus injuria, summa rursus clade Judaicum populum afficiens, vix nos tantis rebus impares commovere potest: tanta enim virtute et constantia semper patet Deus, ut sensu doloris carens,

aut potius vi quadam afflatus divina, per cruciatus quasi per nubes nihil patiens incedat. Nos autem, non nisi humanis rebus movemur; sed in Christo nil humani, nil unde humanis affectibus indulgeatur, omnia supra hominem : parce vivere, injuriam perpeti, nunquam irasci, nunquam legitimam ex injuria pœnam quærere, nihil conviciis, nihil plagis, nihil falsis testibus respondere, et pro ingratis, pro iniquis, pro omnia quasi redolentibus vitia hominibus vitam impendere, et summa de cruce, latronum servorumque more, ingentem animum exspirare. Imparia sunt quæ Christum adeant carmina, et quamvis vulgo crescere soleat cum amplitudine rerum vis ingenii, tamen Christi splendore obruuntur Musæ, ut quondam interrogata tacebant adstantibus christianis oracula [1].

Attamen ab hac trita et solita dicendi via deflectit poeta quidam, Damasus ille cujus acta jam narravimus; non Christum sed christianos, non Redemptorem sed redemptos, non Deum sed homines canit, Martyres scilicet qui pro vero certantes, ferro, ignibus aut dente ferarum laniati ceciderant, et tanta ipsorum constantia obstupefactum orbem christianis tradiderant. Quos enim Damasus canit, raris sed haud illepidis carminibus laudat, eorumque sepulcra marmoreis columnis crustisque exornat, in quibus singulorum nomen et acta narrat. Cui quidem operi favebat tempestatis ratio et opportunitas : temporis enim lapsu sensim excidebat de christianorum animo nefanda tot suppliciorum memoria, et quasi recens fœditas

1. Eusebii Cæsariensis *de Vita Constantini*, lib. II, cap. L. — Lactantii *Institut. contra gentes*, lib. IV, cap. XXVII. — *De morte persecutorum*, cap. IX, X.

quam, cohibitis tamen a Constantino carnificibus, diu exhorruerant christiani, et cujus causa, ne nimium renovarent dolorem, a laudandis martyribus diu abstinuerant poetæ. Quum autem floreret Damasus, hæc quidem nonnihil exoleverant; immensus tantum exstabat martyrum amor, et victoriæ, quam constantia sua christianis pepererant, lætitia ingens, nuper bello a Juliano christianis denunciato quasi renovata. Patebat ergo Damaso via, eique semper honori erit intellexisse quantam et quam uberem materiam Musis præberent martyrum certamina, et quam congruum esset eos canere qui ceciderant quum christiani Romanam molem expugnarent. Felix quidem Damasus noster si tantam ab initio exorsus esset materiam, si omnes per ordinem laudasset qui a Neronis temporibus Diocletianum usque pro Christo et fide passi erant, et quasi cruentos christianorum fastos evolvisset! Nunc quum pæne ignotus lateat, inter principes poetas incederet.

Quæ res enim ex humani generis annalibus decerperetur fidibus aptior? quæ ad flectendos animos valentior? Quantum et quam præclarum præbet spectaculum hæc longa martyrum series qui vitam vero lubentes impendere parati procedunt! Nunc viri illi consulares [1] purpureo induti laticlavo, omnibus ingenii viribus et dicendo pollentes, vitæque sanctitatem præ se ferentes, stabant ante præsulem morituri; nunc nobiles puellæ [2] in ipso ætatis flore, forma, genere, doctrina etiam

---

1. Sancti Damasi *carmen*, apud Maii *Scriptores veteres*, t. V, p. 389. — Sancti Hieronymi *de Viris illustr.*, cap. XLII. — Bolland., februarii, t. I, dies 10, p. 388, § 9; dies 6, p. 773.

2. Eusebii Cæsariensis *Histor. Eccles.*, VII, XIV. — Bolland., t. V, junii, p. 19, 25.

præstantes, a præsule spreti sæpe injuria amoris incenso, in cruciatum dabantur; nunc juvenes donis militaribus ornati [1] pro Christo profundebant vitam quam pro Cæsare in discrimen sæpe obtulerant; nunc adolescentes etiam pro cœli gaudiis auream vitæ venientis spem mutabant [2].

Sed poeta vere christianus, famæ suæ minime curiosus, martyrum laudes longo non est aggressus carmine, tantum lapides illorum imis abditos in cryptis pia manu versibus decoravit, ibique breviter res ab iis actas consignavit. Attamen ex istis quamvis rarissimis patet et grande ingenium et magni animi altitudo, et laudanda in exprimendis animi motibus calliditas, et honesta in componendis carminibus Musarumque laboribus peritia.

Nunc autem quum jam viderimus quales fuerint per quartum sæculum christiani poetæ, et quibus inter eos præstiterit Damasus noster dotibus, singula tandem adeamus ejus carmina, et quo facilius de iis judicemus, hæc inter se seponamus et in certa cogamus genera : Damasi enim inter carmina, alia de Christo, alia de Apostolis, summis alia de pontificibus qui ante ipsum sederunt, alia etiam de martyribus et christianis quibusdam conscripta sunt. Singula ergo aggrediamur et quam sint lepida et jucunda, veritate quam præstantia, et quantum iis qui veteres perquirant annales et prisci conscia temporis monumenta, prodesse possint, statim ostendamus.

---

1. Bolland., t. I, maii, dies 8. — Eusebii Cæsariensis *Histor. Eccles.*, VIII
2. — Surius, 19 august., § 16.
2. Sancti Damasi *carmen*, apud Maii *Scriptores veteres*, t. V, p. 381.

III

DE DAMASIANIS CARMINIBUS

§ I.

DE CHRISTO ET APOSTOLIS.

Ante omnes Christum, martyrum tanquam ducem et præsidium, Damasus salutat. Non ejus vitam, non res ab eo gestas, ordine longo, Juvenci Seduliique more, pandit; at, quod Deus muliebri in sinu latuit, humanamque passus est induere figuram, miratur. Poli rectorem, a quo immensus orbis lucidaque moventur sidera, obstupet Damasus, puerilia resolutum in membra, factumque hominem ut homines eripiat letho mortemque morte sua debellet. Tanto motus spectaculo canere incipit Damasus et sententiarum gravitate et novitate verborumque colore micat[1]. Vix enim ab ullo non laudatur quum Christum redeuntis dicit conditorem ævi, alterius scilicet illius vitæ, cujus de-

1. Sancti Damasi *de Christo carmen* (Migne, *Patrol. lat.*, t. III, col. 376).

siderio quasi cruciatus est inter paganos prudentissimus quisque; aut quum, divinam majestatem humano sub corpore latentem quo melius exprimat, mundum a Jesu Christo corporea indutum figura confitetur. Quod forsan a nonnullis tanquam audacius vituperabitur, attamen multis per longa sæcula placuit, et ex illo Damasi carmine sine dubio decidit hoc præclarum, quod miranti Christophoro parvulum puerum tam gravem incumbere, verbum Jesus respondit: « Noli quidem mirari, humeris enim tuis totus insidet mundus. » Nescio etiam num quis elegantius prædixerit Mariam, Dei genitricem, quæ sinu suo illum cohibuit qui universum orbem in se ipso late continet :

Auctorem paritura suum mortalia corda
Artificem texere poli mundique sub imo
Pectore, quo totum late complectitur orbem;
Et qui non spatiis terræ, non æquoris undis,
Non capitur cœlo, parvos confluxit in artus[1].

Id tamen Damaso crimini dabimus quod non satis perspicue fatetur Christum a Deo non cretuma, sed genitum esse, non infra Patrem secundum quemdam tenere locum, at juxta eum, jure parem, potentiæ et laudis participem insidere. Ex illis enim carminibus non satis plane christianæ plebi patebat quid de Christo censeret Damasus, an hunc Deum et omnino Patri similem confiteretur. Quod quidem, ea tempestate, permagni momenti erat : tunc enim Ariani, in Orientis partibus pollentes, Christum tanquam Deum nega-

1. Sancti Damasi *de Christo carmen.*

bant, et nil ei nisi primum inter animantes locum concedebant, eumque orbis non creatorem sed opificem exstitisse contendebant[1]. Nec ipsum id fefellit Damasum, rursus enim de Christo mox carmen composuit, et, ejus divinitatis plane assertor, illum minime imprudens vere Deum et Patri omnino parem haud indignis verbis prædicat :

Iure pari regnat communis conditor ævI,
Et cum Patre pia regnat sublimis in arcE,
Sidereo sanctis insidet numine regniS
Vnde mare et terras solo videt omnia nutV,
Suggerit humani et donat munera rebuS.

In isto quidem carmine peculiare id et insolitum animadvertimus, quod Christus non verbis tantum et ipsa carminis laude celebratur, sed singulis etiam, quibus versus incipiunt ac desinunt, litteris. Excerptas enim primas singulorum versuum litteras si inter se junxeris, has sensum reddere senties, et ex ista connexione nomen ipsum IESVS effingi ; si vero ultimas, quibus desinit versuum series, litteras congregaveris, pariter inde existet IESVS.

Quod carminis genus ἀκρόστιχον apud Græcos dictum, et apud Alexandrinum poetam quondam frequentatum, Damasus non semel adhibet ; rursus enim, quum de Christo breve quoddam incepisset carmen, curavit ut litteræ incipienti cuique et desinenti versui impositæ conjunctione sua Jesum redderent. Potissimum enim

---

1. Theodoreti *Histor. Eccles.*, I, I, III. — Sancti Athanasii *Contr. Arian. Oratio*, §§ 5, 6, 9.
2. Sancti Damasi *de Christo carmen*, V.

probatur hoc compositionis genus, quum gentes, ab honesta et recta dicendi via flectentes, simul a pristina virtute recesserunt; tunc enim sensuum gravitatem, inventionis electionem, sententiarum planitatem, proprietatem verborum et sermonis modestiam, quasi veterno inquinatas et antiquitatem redolentes, fastidiunt, et putidum quoddam et præposterum dicendi genus, ambitiosamque et magno molimine elaboratam carminis figuram, assuescunt exigere. Inde Optatianus Porphyrius ægre carmina struit primas mediasque et ultimas consociando litteras, quibus inter se congregatis versus novos præstet; inde, ut varias rerum figuras describat, Ausonius versus longos exiguis et brevibus subjicit, et sic carminis summa aut aram, aut vexillum, aut fistulam effingit; inde etiam syllabarum inter se consonantium usus qui, ab ipso Nasone olim susceptus, temporibus Damasi floret, et cunctis placens aures novo concentu demulcet. Quem et ipse, ut infra videbimus, Damasus non rejicit. — At præsertim novum plane et apud christianos adhuc insolitum carminum genus tentavit : collecta enim diversa, quibus apud Hebraicos vates et Apostolos significari Christus solet, nomina metricis legibus aptavit, brevesque longis subjiciens syllabas, hymnum Christi in honorem composuit.

Quod si legeris, perfacile senties quantum a pristina gloria temporibus Damasi descivissent litteræ, quantaque labe Romanos frequens cum barbaris consuetudo infecisset. Gaudebant enim Germani orationis ambagibus et solertia, ingeniique acuminibus, et verborum quasi præstigiis delectabantur; quum vero multis ab annis juxta Romanos bellantes summos sæpe honores

essent adepti, et apud principes maxima gratia valerent, a poetis, ut qui divitias et honores largirentur, adulatoriis laudibus exculti sunt, et sic litteras ipsas pravis studiis infecerunt. Communi tamen famæ si fidem adhibeamus, sanctus Clemens Alexandrinus, tertio ætatis nostræ sæculo florens, carmen ipse jam perfecerat[1], in quo multa Christi nomina quasi inserta appa-

---

1. Ὕμνος τοῦ σωτῆρος Χριστοῦ, τοῦ ἁγίου Κλήμεντος.

Στόμιον πώλων ἀδαῶν,
Πτερὸν ὀρνίθων ἀπλανῶν,
Οἴαξ νηῶν ἀτρεκής,
Ποιμὴν ἀρνῶν βασιλικῶν.
Τοὺς σοὺς ἀφελεῖς
Παῖδας ἄγειρον,
Αἰνεῖν ἁγίως,
Ὑμνεῖν ἀδόλως
Ἀκάκοις στόμασιν
Παίδων ἡγήτορα Χριστόν.
Βασιλεῦ ἁγίων,
Λόγε πανδαμάτωρ
Πατρὸς ὑψίστου,
Σοφίας πρύτανι,
Στήριγμα πόνων
Αἰωνοχαρές,
Βροτέας γενεᾶς
Σῶτερ Ἰησοῦ,
Ποιμήν, ἀρωτήρ,
Οἴαξ, στόμιον,
Πτερὸν οὐράνιον
Παναγοῦς ποίμνης,
Ἁλιεῦ μερόπων
Τῶν σωζομένων,
Πελάγους κακίας
Ἰχθῦς ἁγνοὺς
Κύματος ἐχθροῦ
Γλυκερῇ ζωῇ δελεάζων·
Ἡγοῦ προβάτων
Λογικῶν ποιμήν,
Ἅγιε, ἡγοῦ,
Βασιλεῦ, παίδων ἀνεπάφων.
Ἴχνια Χριστοῦ

rebant; at carmen quod solis Christi nominibus constaret primus omnium condidit Damasus. Sperabat equidem fore ut hac Christi nominum serie christianorum in mentem omnis Christi doctrina revocaretur. Quare Damasi exemplum, quum novum hoc et inauditum opus utile certe existimarent, mox secuti sunt

---

Ὁδὸς οὐρανία·
Λόγος ἀέναος,
Αἰὼν ἄπλετος,
Φῶς ἀΐδιον,
Ἐλέους πηγή,
Ῥεκτὴρ ἀρετῆς,
Σεμνὴ βιοτὴ
Θεὸν ὑμνούντων,
Χριστὲ Ἰησοῦ.
Γάλα οὐράνιον,
Μαστῶν γλυκερῶν
Νύμφης χαρίτων
Σοφίας τῆς σῆς,
Ἐκθλιβόμενον·
Οἱ νηπίαχοι
Ἀταλοῖς στόμασιν
Ἀτιταλλόμενοι,
Θηλῆς λογικῆς
Πνεύματι δροσερῷ
Ἐμπιπλάμενοι,
Αἴνους ἀφελεῖς,
Ὕμνους ἀτρεκεῖς
Βασιλεῖ Χριστῷ,
Μισθοὺς ὁσίους
Ζωῆς διδαχῆς
Μέλπωμεν ὁμοῦ,
Μέλπωμεν ἁπλῶς
Παῖδα κρατερόν,
Χορὸς εἰρήνης
Οἱ χριστόγονοι
Λαὸς σώφρων
Ψάλλωμεν ὁμοῦ
Θεὸν εἰρήνης.

Titi Flavii Clementis hymnus in Christum salvatorem (edidit Ferdin. Piper, Gotting., 1835).

haud ignobiles inter christianos viri : apud Orientales videlicet sanctus Gregorius Nazianzenus, soluta quidem oratione, multa Christi nomina ordine disposuit; apud Occidentales vero Ennodius et Orientius, Ticinensis ille, hic Ausciensis episcopus, necnon sanctus Isidorus Hispalensis [1] et Notkerus [2] sancti Gallensis apud Helvetios domus monachus quidam. Quorum unus tantum, sanctus scilicet Isidorus, soluta oratione, cæteri autem carminibus varia Christi nomina præbuerunt, inter quos sane uberior et politior eminet Orientius [3] qui de Christo duo habet carmina, alterum

---

1. Sancti Isidori Hispalensis *Origines*, lib. VII, cap. II.

2. Notkeri Balbuli *Poemata* (*Patrol. lat.*, t. CXXXI, col. 985).

3. Sancti Orientii episcopi Ausciensis *Commonitorium*, lib. II, *de Epithetis Salvatoris nostri* (*Patrol. lat.*, t. LXI, col. 1000, 1003).

« Janua, Virgo, Leo, Virtus, Sapientia, Lumen,
« Rex, Baculus, Princeps, Dux, Petra, Pastor, Homo,
« Retia, Sol, Sponsus, Semen, Mons, Stella, Magister,
« Margarita, Dies, Agnus, Ovis, Vitulus,
« Thesaurus, Fons, Vita, Manus, Caput, Ignis, Aratrum,
« Flos, Lapis angularis, Dextra, Columna, Puer,
« Mitis, Adam, Digitus, Speculum, Via, Botruo, Panis,
« Hostia, Lex, Ratio, Virga, Piscis, Aquila,
« Justus, Progenies regis, regisque Sacerdos,
« Nomina magna Deo : major et ipse Deus. »

EXPLANATIO NOMINUM DOMINI.

Janua, quod residet cœlo secretaque pandat,
Virgo, incorruptæ matris cui partus origo est.
Et Leo, rex hic est regum : rex ille ferarum,
Dicitur et virtus : nihil hoc quoque fortior uno.
Unde etiam dictus est Sapientia? — Regula vitæ est.
Quomodo sit Verbum? — Patrio quia fluxit ab ore.
Cur modo Rex idem, modo Regis Filius idem?
— Cum Patre quod solium cœli commune retentat.
Cur Baculus? — Lapsos quod sublevet, erigat ægros.
Cur Princeps? — Subjecta throno quia cuncta gubernet.
Cur Dux militiæ cœlestis? — Ab agmine sancto.
Cur Petra? — Quod valido statuat fundamine firmum.

variis tantum nominibus insigne, alterum autem in quo quid singula significent nomina panditur.

Jam laudato Christo, ad Apostolos se convertit Damasus, ad Paulum scilicet qui, Judæus primum, pos-

---

Unde bonus Pastor? — Maculam quod ovibus obstet.
Nunc Homo : natus enim est et carnem a Virgine sumpsit.
Retia cur? — Sparsas quod colligat undique gentes.
Cur sol justitiæ? — Quia justum illuminet omnem.
Cur Sponsus? — Desponsa Deo quod Ecclesia Virgo est.
Cur Sanctum? — Quod regna serat felicia verbo.
Mons : quod in ascensum non omnibus ardua cedat.
Stella : quod incertos duce lumine dirigat itus.
Unde Magister? — Amat famulantia corda docere.
Margarita : quid hoc pretiosius inveniatur?
Unde Dies? — Quod luce magis resplendeat ipsa.
Tunc quia sit Sanctus, innoxius Agnus habetur,
Qui potuit solus peccatum tollere mundi,
Et modo fertur Ovis, quod se jugulantibus aptet.
Dicitur et Vitulus : contenta hoc passio monstrat;
Fons, quia purificat vitium baptismate largo;
Vita, quod æternum dat vivere vivificatis;
Et Manus : occurrit virtutum operatio dives.
Et Caput : in promptu est quo nostro auctore creemur.
Ignis : in hoc quod adhuc probatio nostra supersit.
Unde Aratrum? — Subigat quod pectora, fructificetque.
Flos, quia confessor est martyres ipse coronat.
Cur Lapis angularis? — Populum quia nectit utrumque
Dextera, qua patrium latus assidet, ornat, honorat.
Sæpe Columba : dolum quia nescit, ac sine felle est.
Unde Puer? — Quod purus eat genitoris ad arcem.
Vitis : adoptiva quod se hærede propaget.
Unde secundus Adam? — Quia sit caput ipse renatis.
Est Digitus, Stylus iste : Dei est Lex scripta per ipsum.
Nunc Speculum : quod imago Patris perlucet in illo.
Nunc Via : quod sanctus sit prævius in paradiso.
Botrio, quod succis cœlestibus irriget orbem.
Panis : in hoc nostræ quod sint alimenta fidei,
Hostia viva Deo; summus cur ipse Sacerdos?
— Se quia sanctificans patriis altaribus offert.
Nunc Ratio : hæc ratio est per quam stat fabrica mundi.
Virga quod errantes ut verbere corriget actus.
Piscis natus aquis : auctor baptismatis ipse est.
Sæpe Aquila : e terris quoniam revolavit ut ales.

tea christianus, Christi nomen per totum Orientem diffudit. Huic quidem semper indulsere christiani, utpote qui, laborum varietate, animi fortitudine, ingenii viribus et eloquentia conspicuus, multa pro Christo sit perpessus. Cujusnam mirationem non moveret vir ille qui, christianis infensus, inter eos vi quadam divina immittitur, et quamvis inter Apostolos novus, fide tamen, virtute et alacritate præcipuus extemplo evadit? Romanorum quasi ultimus, stupentem ante præsulem clamat se esse civem Romanum, et sibi hoc nobile et illustre nomen vindicat, quod abhinc, communi imbecillitate et ignavia, situ quasi obsitum exolevit; furentes vix Ephesios cives effugit; apud Athenienses, hunc augustissimum et antiquissimum cœtum, olim a diis ipsis, ut fama erat, institutum, Areopagum dico, adit et prudentia superat; denique postquam in Urbe, quin etiam in ipsa Cæsaris domo feliciter non paucis vera fidei præcepta tradidit, gladio, ut civem Romanum decet, jubente Nerone, interit. Illum Damasus, paucioribus quidem carminibus laudavit[1], at

---

1. Sancti Damasi *de Sancto Paulo apostolo, carmen VII.*

« Mutato placuit postquam de nomine Paulus,
« Mira fides rerum, subito trans æthera cœli
« Noscere promeruit possent quid præmia vitæ.
« Conscendit raptus martyr penetralia Christi,
« Tertia lux cœli tenuit Paradisus euntem,
« Colloquiis Domini fruitur, secreta reservat.
« Gentibus ac populis jussus prædicere vera,
« Profundum penetrare maris, noctemque diemque
« Visere, cui magnum satis est vixisse latentem,
« Verbera, vincla, famem, lapides, rabiemque ferarum,
« Carceris illuviem, virgas, tormenta, catenas,
« Naufragium, lacrymas, serpentis dira venena,
« Stigmata non timuit portare in corpore Christi.
« Credentes docuit possunt quo vincere mortem. »

ejus tamen omnia quæ quasi propria sunt, versibus ita recte expressit, ut, si carminibus inscriptus periisset titulus, statim de Paulo narrari diceres.

Andream quoque apostolum laudavit Damasus [1], sed minime in iis quos de illo conscripsit versibus consistemus, utpote qui, etsi lepidi et honesti, nil peculiare, nil insigne præbeant.

§ II.

DE SUMMIS PONTIFICIBUS.

Christum et Apostolos quum laudat Damasus sententiarum gravitate et altitudine, verborum nitore et cultu, carminum lepore et venustate nos capit; at ubi de Romanorum pontificum martyrumve qui sub Decio, Valerioque aut Diocletiano mortem passi sunt, certaminibus narrat, tunc potissimum eminet, et inter poetas peculiaribus et egregiis dotibus floret. Hoc enim maxime præstat Damasus quod proprias uniuscujusque dotes et ea quibus se quisque e vulgo eximit, mira sagacitate excerpit et carminibus suis plane exprimit : ita ut quasi vivi et propriam sustinentes personam qui a Damaso laudantur appareant, eosque quasi adstantes et ad populum concionari, et res a se actas pandere diceres. Neque hoc solum : at præsertim multa paucis versibus absolvit, et raris quidem sed optimis verbis res amplas et memoria prorsus dignas refert, quæ tamen plane exolevissent,

---

1. Sancti Damasi *de Sancto Andrea Apostolo, carmen* VIII.

nisi ea carminibus suis inseruisset. Quæ quo manifestius ostendamus, singula Damasi de pontificibus et martyribus carmina inspiciamus, et de eorum meritis dignoscamus, sive eorum in usum qui tantum de versuum lepore et veneribus laborant, sive eorum quos ecclesiasticos colligere fastos juvat.

Quum christiani cœmeteriorum cryptas, ut tunc mos erat, pietatis causa lustrarent, et, Callixti cœmeterium ingressi, ad maximum hujus loci cubiculum marmoreis columnis crustisque et cancellis decoratum, pervenissent, ibi, in opposita pariete, supra pontificalem cathedram incisas aspiciebant marmorea in tabella litteras :

Tempore quo gladius secuit pia viscera Matris,
Hic positus rector cœlestia jussa docebam :
Sed veniunt subito rapiunt qui forte docentem.
Militibus missis populi tunc colla dedere.
Mox ubi cognovit senior qui tollere vellet
Palmam, seque suumque caput prior obtulit ipse,
Impatiens feritas posset ne lædere quemquam.
Ostendit Christus, reddit qui præmia vitæ,
Pastoris meritum, numerum gregis ipse tuetur[1].

Carminibus illis sancti Sixti summi christianorum pontificis memoriam nobilitabat Damasus, ejusque pervulgabat famam, utpote qui virtute sua christianum cœtum imminenti morti eripuisset. Sedebat enim cathedra sua, circumstantibus diaconis, Sixtus, ut e Damasi carminibus apparet (silent enim de hac re eccle-

1. Sancti Damasi *de Sancto Sixto* (Stephano), *P. et M. carmen* (*Patrol. lat.*, t. XIII, col. 383, 384).

siastici annales), christianamque plebem docebat, quum subito, a proditore quodam, ut videtur[1], adducti satellites præcipiti cursu irrumpunt. Stricto mucrone christianæ concioni armatam circumdant coronam imminentemque mortem denunciant, ni extemplo summum prodant sacerdotem; incolumes contra discessuros omnes spondent, si statim indicetur. Silent universi cervicemque ultro gladio præbent. Quæ quum audiisset Sixtus, quem milites imprudentes quidem ignotum trahebant, utpote qui cæteros cathedra insidens doceret : « Ego, inquit, summus christianorum pontifex et Romanus antistes sum[2]. » Rapitur cum diaconis, et, jubente præsule, rursus in cryptas adductus et obtruncatus, nece sua christianum cœtum servat. Tantum facinus, eodem in loco quo perpetratum erat, Damasus narravit, sed periit annorum injuria inscriptum lapidi nomen, et excidit magna ipsius pontificis memoria. Errore etiam communi sepultum sub hoc marmore sanctum Stephanum et carminibus illis laudatum diu reputavimus; at nunc, quum cryptarum latebras tanta scientia et sagacitate illustraverit prudentissimus ille et perdoctus Rossi, ille de scientia quam maxime meritus, clare perspeximus carmina hæc sancti Sixti in honorem a Damaso esse conscripta[3].

Si quis præterea miretur[4] quod sic jussi essent milites christianis impunitatem spondere, dummodo summum pontificem prodirent, ei subeat in memoriam

---

1. Tertulliani *ad Nationes*, cap. XXVII. — *Apologetica*, cap. VII (*Patrol lat.*, t. I).
2. Sancti Damasi *de Sancto Sixto*, *carmen* X, vers. 4, 7.
3. De Rossi, *Roma sotterranea*, t. II, p. 84, 87.
4. De Rossi, t. II, p. 92.

causa quamobrem a Domitiani temporibus usque ad Diocletianum fuerint exagitati christiani. Minime enim eos, quod vulgo numina irriderent, principes insectabantur, sed quod eos rei Romanæ hostes et publicis infensos commodis habebant. Nam pollentes multitudine sua, communis cultus occulto inter se cohærentes fœdere, integritate, scientia, eloquentia etiam et virtute conspicui, maximis sæpe honoribus aucti, multis ducibus et certo constitutis ordine parentes et præsertim omnes una de summo quodam duce pendentes[1], semper numero crescebant, et undique subrepentes Romanam molem, ut tumescens æstus, oppugnabant. Quin etiam, e pristinis oraculis, ut fama erat, spem certam victoriæ obtinuerant[2]. Tanto periculo moti qui navis gubernacula tractabant, christianos, ut domesticos hostes et quasi proditores, omnibus modis conterere et totis Romanæ ditionis viribus opprimere conati sunt. Quod quo felicius efficerent, deprehendendum ante omnia censuerunt christianorum summum pontificem[3]; confidentes fore ut tanto debellati vulnere dissiderent inter se christiani et, rupto fœdere, in contrarias partes scinderentur, atque ita facilem præberent prædam. Quid mirum ergo, si Decius qui rem Romanam undique labefactam instaurare conatus est, quum audiisset a christianis in urbe pontificem maximum sanctum Cornelium esse salutatum, fateri non dubitaverit se multo facilius æmulum contra se principem quam sacerdotem constitui toleraturum

---

1. Freppel, *Saint Cyprien et l'Église d'Afrique au* IIIe *siècle*, 7e leçon, p. 153.
2. Taciti *Histor.*, V, cap. IV. — Sueton., *in Vespasian.*, cap. IV.
3. Freppel, *Saint Cyprien*, 8e leçon, p. 172, 173, 180, 181.

fuisse[1]? Quid mirum etiam si Valerianus, qui temporibus Sixti Romanis rebus præerat, pontificem obtruncare maluerit quam temere christianum vulgus occidere ?

Neque de solo Sixto, at de Marcello etiam et Eusebio, qui vicissim in Urbe sederunt, bene meritus est Damasus : refert enim quibus illi exagitati procellis, qua mulctati pœna fuerint, et sic nos de rebus ecclesiasticis, quæ quidem, nisi adfuisset, plane effugissent, gratos et inscios monet.

Compertum enim minime habebamus quid, relictis a Diocletiano rerum habenis, in Urbe christianis acciderit, quo animo in eos usus sit Maxentius, quum imperium, priusquam Constantino fortuna faverit, in Urbe teneret[2]. De hac re tacent qui ecclesiasticos conscripserunt annales, et Eusebius ipse, quamvis multa de christianis, quum antea a principibus vexarentur, nobis tradiderit, tamen de eorum statu per hæc dubia et incerta tempora non nisi obscure et incomposite loquitur. Hic scilicet pacem a Maxentio christianis concessam refert[3], et alio quodam in libro multis per hæc tempora exagitatos esse procellis christianos fatetur[4] ; sed quantæ fuerint in Urbe, dum juxta Maxentium Marcellus sedebat, dissensiones, quid de christianis sit meritus ipse Maxentius, utrum iis pacem an bellum denunciaverit, quæ Marcello, quæ Eusebio qui eum in pontificatu excepit, fortuna fuerit, hæc omnia, quæ

1. Sancti Cypriani *ad Antonianum episcop. Numidiæ*, epist. LII.
2. De Rossi, *Roma sotterranea*, t. II, p. 207. — Eusebii Cæsariensis *Histor. Eccles.*, VIII, xiv.
3. Eusebii *Histor. Eccles.*, VIII, xiv,
4. Eusebii *de Martyrib. Palæstinæ*, cap. xii.

diu incomperta Eusebius tacebat, Damasus aperit. Quæ ergo de ejus versibus raris quidem et sæpe obscuris colligere datum sit, paulo fusius exponere liceat.

Christianis, quos in Orientis finibus Galerius opprimebat[1], indulsit in Urbe Maxentius, utpote qui Galerio infensus, a quo e Cæsarum numero exemptus fuerat[2], eos benignitatis quadam specie alliciendos speraret[3]. Idcirco finem persecutionibus fecit, et christianis etiam ecclesiarum domos, a Diocletiano nuper fisco addictas, restituit[4]. Cujus quidem benevolentia imprudenter plane usi sunt christiani qui, a Decii principis temporibus inter se dissidentes, tres in factiones scissi erant[5]. Quum enim christianis a Decio bellum esset indictum, haud pauci, supplicia horrentes et præsulum pavefacti minis, nonnihil thuris numinibus concesserunt, et a præsule, ut qui principi paruissent, incolumes sunt dimissi[6]. Mox, reduce pace, propriam ipsi dolentes ignaviam, valde flagitarunt ut, concessa venia, inter christianos reciperentur[7], et numero suo fidentes, ecclesiarum in limine institerunt[8]. Quos violenter ejecerunt inter christianos multi qui, Novatiani

---

1. Tillemont, *Mémoires*, t. V; *Persécution de Dioclétien*, art. 30, 32.
2. Lactantii *de Mortib. persecut.*, cap. XVIII.
3. De Rossi, *Roma sotterranea*, t. II, p. 205.
4. De Rossi, *Roma sotterranea*, t. I, p. 203, 204; t. II, p. 209.
5. *Saint Cyprien et l'Église d'Afrique au* IIIe *siècle*, par M. l'abbé Freppel, 8e leçon, p. 170, 171 (Paris, Bray, 1865).
6. Sancti Cypriani *de Lapsis*, IV, VII, VIII (*Patrol. lat.*, t. IV). — *Ep. XXXI, Cypriano presbyteri et diaconi Romæ consistentes.* — *Epist. LII, ad Antonian. episc. Numidiæ.*
7. *Epist. II Cleri Romani ad clerum Carthagin.* — Freppel, *Saint Cyprien*, 9 leçon, p. 195; 10e leçon, p. 214.
8. *Epist. XXXI, Cypriano presbyteri et diaconi Romæ consistentes.*

a Novato duce[1] dicti, Lapsis (iis scilicet qui suppliciorum metu diis sacrificaverant)[2] veniam ullo pacto concedendam negarunt, et eos, quasi exesa membra, resecandos existimarunt[3]. Quorum a graviore disciplina deficientes pontifices maximi et una inter christianos optimi[4] veniam quidem Lapsos sperare jusserunt, si modo longam tanti sceleris pœnitentiam egissent, et diu ecclesiarum in atriis prostrati flevissent[5].

Id non facile tulerunt Lapsi, veniamque puram flagitantes, tunc pœnitentiam, ut nuper supplicia, horruerunt[6] : itaque impetratis ab iis, qui fortiter sustinuerant tormenta, litteris quibus rogarentur sacerdotes ut Lapsos in gratiam reciperent[7], ecclesiarum domos invaserunt, et universo impetu primum expulsi, iis rursus numero pollentes vi et armis potiti sunt. Inde seditiones, bella, cædes et scelerum omne genus.

Quibus igitur iterum Urbs est exagitata quum pax a Maxentio christianis restituta est, et tres in factiones scissi christiani, qui tunc in Urbe permulti numeraban-

1. Freppel, *Saint Cyprien*, 11e leçon, p. 251, 255. — Sancti Hieronymi *de Viris illustr.*, c. LXX.

2. Sancti Cypriani *de Lapsis*. — Freppel, 9e leçon, p. 195. — De Rossi, *Roma sotterranea*, t. II, p. 202, 203.

3. Sancti Cypriani *Epist. CLII, ad Antonian.* — Freppel, 9e leçon, p. 255, 259, 263.

4. *Epist. XXV, Cypriano Moses, Maximus et Nicostrates. — Epist. XXX, XXXI, Cypriano presbyteri et diaconi Romæ. — Epist. XXXII, Cypriani ad clerum Carthagin.* — Sancti Cypriani *de Lapsis*, XIV.

5. *Epist. II Cleri Romani ad clerum Carthagin. — Epist. XXVI, Cypriano Moses, Maximus et Nicostrates. — Epist. XXX, XXXI, Cypriano presbyteri et diaconi Romæ. — Epist. LII, ad Antonian.*

6. *Epist. XXV, Cypriano Moses, Maximus et Nicostrates. — Epist. XXXI, Cypriano presbyteri et diaconi Romæ.*

7. *Epist. IX, Presbyteris et diaconis Carthagin., Cyprianus. — Epist. XX Cypriani ad martyres et confessores. — Epist. XII, XIII, Cypriani ad clerum Carthag. — Epist. XVI, Confessorum univ. ad Cyprianum.*

tur, undique seditionem moverunt[1]. Lapsis dux præerat, ut e Damasi carminibus apparet[2], Heraclius quidam qui, non vi tormentorum, non metu supplicii subactus, sed compositis rebus, ut principis in gratiam veniret et honores adipisceretur[3], nuper a Christo defecerat. Qui, quum in mente haberet, post Maxentium, se inter christianos regressurum, Lapsos toto pectore impellebat ut propositam contemnentes pœnitentiam, puram simplicemque veniam vi etiam et armis auferrent. Ei autem obstitit qui tunc apud christianos summum sacerdotium tenebat, Marcellum dico[4], qui Lapsos sine pœnitentia recipi omnino vetuit, eosque absolvendos negavit, nisi quum diuturnis fletibus et longa molestia scelus suum luissent. At sibi infensos una habuit Lapsos simul et Novatianos[5], quorum alteri sine pacto, alteri vero nullo pacto concedendam veniam contendebant. Utrique enim ecclesias invaserunt, utrique inter se conseruerunt manus, et iis, qui sancti Marcelli partes tenerent, vim intulerunt[6]. Contrarias scissa est in factiones Romana plebs, Urbis in viis pugnatum est, et Maxentius, timens ne quid inde detrimenti caperet, Marcellum pontificem, quem seditiosorum auctorem et principem, delusus ab Heraclio[7], existimabat, ex Urbe ejecit.

Nec tanta injuria sedati animi : at contra, ad majo-

---

1. Freppel, *Saint Cyprien*, 11e leçon, p. 261, note 3. — De Rossi, *Roma sotterranea*, t. II, p. 207.
2. De Rossi, *Roma sotterranea*, t. II, p. 205, 206.
3. De Rossi, *Roma sotterranea*, p. 205 in fine, et 206. — Sancti Damasi *De sancto Marcello martyre*, *carmen* XI, vers. 5. — Conf. *De sancto Eusebio papa*, *carmen* XII, vers. 1, 5.
4. Pagi, *Breviarium gest. Pontific. Roman.*, t. I, p. 48.
5. De Rossi, *Roma sotterranea*, t. II, p. 205.
6. De Rossi, *Roma sotterranea*, t. II, p. 205.
7. De Rossi, *Roma sotterranea*, t. II, p. 206.

rem audaciam provecti Lapsi et Novatiani sanctum Eusebium, defuncti mox Marcelli in loco constitutum[1], rursus exagitarunt. Per vias armati euntes, ecclesiasque invadentes, tantam in Urbe seditionem moverunt, ut conturbatus Maxentius Eusebium simul et Heraclium exilio mulctaverit[2]. Eusebium igitur in Siciliam relegavit, qui, quum paulo post senectute et inopia confectus interiisset, a christianis inter sanctos et confessores, una cum Marcello, honorifice est exceptus, utpote qui pro justitia non secus ac Marcellus fortiter esset passus[3].

Illa in Urbe peracta sub Maxentio rationem plane reddunt rerum quas Eusebius Cæsariensis in annalibus suis incertas quidem et obscuras tradit. Christianos enim Maxentius non quod a numinibus abhorrerent, sed quod Urbem miscebant[4], vexavit, et

---

1. Pagius, *Breviar. gestor. Romanor. Pontific.*, t. I, p. 49. — Tillemont, *Mémoires pour servir à l'Hist. ecclés.*, t. V; *Persécut. de Dioclétien*, art. 37, 38.
2. De Rossi, *Roma sotterranea*, t. II, p. 206.
3. Tillemont, *Mémoires*, t. V; *Persécut. de Dioclétien*, art. 37, 38.
4. De Rossi, *Roma sotterranea*, t. II, p. 207.

Addere hic forsan haud inutile videbitur quæ de sancto Marcello et Eusebio conscripsit Damasus.

De sancto Marcello martyre, carmen XI.

« Veridicus rector Lapsos quia crimina flere
« Prædixit, miseris fuit omnibus hostis amarus :
« Hinc furor, hinc odium, sequitur discordia lites,
« Seditio, cædes, solvuntur fœdera pacis.
« Crimen ob alterius Christum qui in pace negavit,
« Finibus expulsus patriæ est feritate tyranni.
« Hæc breviter Damasus volui comperta referre,
« Marcelli ut populus meritum cognoscere posset. »

De sancto Eusebio papa, carmen XII.

« Heraclius vetuit Lapsos peccata dolere,
« Eusebius miseros docuit sua crimina flere.

quod timebat ne ipse a plebe Romana, tot mota seditionibus, deturbaretur.

Damasi ergo in carminibus aspicimus christianos pacis civilis et quasi domesticæ disciplinæ specie a principibus oppressos. Martyrum enim constantia victi irrita omiserunt supplicia principes, et contra christianos obstiterunt quasi religionem minime, pacem autem et bonum statum maxime, cordi haberent, et illos, qui pro veritate et fide decertabant, quasi miscerent civitatem, exagitarunt[1]. Hæc magna quidem, ab omnibus vero omissa, a solo referri Damaso perspicimus, qui, quamvis perbreviter et obscure, optime tamen nobis res adhuc ignotas tum de sancti Marcelli et Eusebii sorte refert, tum de statu christianorum in Urbe, quum, fine persecutionibus imposito, nondum christianam fidem amplexus princeps, christianos numero et auctoritate pollentes formidaret, et sub quadam disciplinæ et concordiæ specie vexaret.

§ III.

DE MARTYRIBUS.

Quum summos Pontifices laudat, pergratum opus iis quos christianos juvat colligere fastos, Damasus facit,

---

« Scinditur in partes populus, gliscente furore,
« Seditio, cædes, bellum, discordia, lites.
« Extemplo pariter pulsi feritate tyranni,
« Integra quum rector servaret fœdera pacis,
« Pertulit exilium Domino sub judice lætus,
« Littore Trinacrio mundum vitamque reliquit. »
(*Patrol. lat.*, t. XIII, col. 384 à 386).

1. De Rossi, *Roma sotterranea*, t. II, p. 207.

nec minus etiam de illis qui christianorum pristinis moribus student et disciplinæ qua diu viguerunt, est meritus, quum martyres canit qui virtute sola, non honoribus, nec grandi quodam et egregio facinore eminuere : nobis enim horrenda testatur, quibus laniabantur christiani, tormenta, certaque et permagna de pristinis christianorum moribus indicia affert.

Sic e laudibus sancti Tarsicii perspicimus[1] morem quondam christianis fuisse domum quotidie iis qui morbo detenti in ecclesiam non convenissent, vivum panem et immortale merum deferre. Narrat enim Damasus Tarsicium, Romanam apud ecclesiam diaconum, quum ad eos, qui conventui non adfuissent, sacra convivia ferret, a pagana turba oppressum cecidisse, nedum sceleratis sacra nostra proderet[2]. Inde etiam intelligimus quanto efferrentur studio pagani, ut christianorum introspicerent mysteria, et eorum illuderent sacris, nec non quid de paganis existimarent christiani. Istos enim rabidos canes dicit Damasus, nec imprudenter : nam toto pectore aspernabantur christiani stolidum hoc et spurcissimum vulgus quod

---

1. De Rossi, t. II, p. 9.
2. Sancti Damasi *de Sancto Tarsicio, carmen* XVIII.

> « Par meritum, quicumque legis, cognosce duorum,
> « Queis Damasus rector titulos post præmia reddit.
> « Judaicus populus Stephanum meliora monentem,
> « Perculerat saxis, tulerat qui ex hoste tropæum.
> « Martyrium primus rapuit levita fidelis.
> « Tarsicium sanctum Christi sacramenta gerentem,
> « Quum malesana manus peteret vulgare profanis,
> « Ipse animam potius voluit dimittere cæsus,
> « Prodere quam canibus rabidis cœlestia membra. »

In secundo versu, apud Merendam, *quisquis* non queis præbetur; at hoc verbo, inutili plane, versus incompositus fit; æquum ergo nobis visum est *queis* inducere quo versus stat.

nil præter panem et circenses respiceret et magnis clamoribus bestias christianis quotidie denuntiaret. Vulgus tamen illud quum ægrum, sauciatum et invalidum per vias jaceret, in hospitia sua[1] excipiebant christiani et suavissime curabant; principes autem paganorum, et ante omnes Galerius, egenos, senes et ægros in navem impositos, demergi jubebant.

Quum sanctum Saturninum, Eutychiumve aut Laurentium[2] laudat Damasus, infanda quibus recti tenaces essent dilacerati christiani tormenta, hæc ad vivum sane exprimit : carceres quam cœnosi et spurci, præsules quanta efferati rabie, quam solertes etiam ad christianos diuturnis et exquisitis cruciandos suppliciis[3]. Nec ficta, nec vaga tradita fama, sed quæ vere sunt passi martyres a Damaso accipimus, et quid cruciatuum, quid funeris genus, quid in summo discrimine a quoque gestum, certo testimonio conscius refert. Sæpe carminibus suis christianos inter se fratres testatur et quasi consanguinitatis jure cohærentes, eosque quia homines sunt, germanos prædicat[4]. Quod quidem inter paganos confessus erat nemo : paganis nil præter dominum et servum erat, præter civem et peregrinum nihil; virum, uxorem, patremfamilias cum

1. De Rossi, *Bullet. archéolog.*, ann. 1866, n° ultim.; ann. 1868, n° 3. — Martigny, *Dictionn. des Antiq. chrétiennes*, verb. *Hôpitaux*, *Hospitalité*, p. 289, 290, 291, 292.

2. Sancti Damasi *Carmina*, XIV, XVII, XX.

3. Sancti Damasi *de Sancto Eutychio, carmen* XVII, vers. 2, 4, 5, 6. — *De sancto Saturnino, carmen* XX, vers. 5. — *De sancta Agnete, carmen* XXIX, vers. 4. — *De sancta Agnatha, carmen* XXX, vers. 9, 12, 16. — *De sanctis martyribus Chrysantho et Daria, carmen* XXVIII, vers. 3, 4.

4. Sancti Damasi *de Sancto Saturnino, carmen* XX, vers. 2, 3. — *De incerto martyre Græco, carmen* XXII, vers. 2, 3.

filio et liberto admittebant, homines vero nusquam, fratres autem minime. Hominibus Pollio murænas suas pascebat; homines, quum senes et ægri impares essent qui rusticum laborem sustinerent, vendi jubebat Cato, et hominum cæde deos pagani sæpissime propitiabant. Homines, apud paganos, non nisi a Terentio[1] et Seneca[2] susceptos et prædicatos habemus : at alter diu in Urbe domino inservierat, et mala expertus humana, humanis rebus movebatur; alter, Paulo nostro familiaris, inde nonnihil benignius vix conscius retinuerat, sicut, nocte campum tenente, summa tamen albescere montium juga longinquo lumine cœperunt.

Tandem, quamvis sæpius macie quadam et jejunio confectus Damasus peccet, quis tamen inter pictores, penicilli et coloris ope, martyrum certamina acrius unquam expressit? Spirant in Damasi carminibus christiani, et quasi vivi in scenam ante oculos inducuntur, fide et virtute pollentes, et irrita oppetentes tormenta. Si fidem deneges, codicem ipse aperi, et quæ de Marcellino et Petro scripsit Damasus perlege[3].

Ecce ambo procul ab Urbe, ne eorum colant truncos christiani, custodes inter eunt, et ad supplicii locum ineluctabili gressu tendunt. Per dumeta vepresque consistunt morituri, et, jubente carnifice, ipsi, propria manu, vepres spinasque avellunt, purgant locum, idoneum supplicio efficiunt, et tandem ambo cervicem securi subjiciunt alacres.

Alia si quæris spectacula, Nereum et Achilleum as-

---

1. Terentii *Heauntontimorumenos*, act. I, scena I, vers. 25.
2. Seneca, *Lucilio*, *Epist. XLVII.*
3. Sancti Damasi *de Sancto Marcellino* et *Petro*, *carmen* XXIII.

pice[1] : ambo milites conscripti pro Cæsare bellabant, ambo christianos interficere jussi parebant immites, quum subito vi quadam commoti, se christianos fatentur, projiciunt arma et, ne feriant, feriuntur.

At forsan insigniorem cupias et majorem umbram : voti sis compos, et adductam a Damaso mirare Agathen[2], quæ stirpe clara, forma simul et virtute præstans, inter eos qui gloriosissime decertaverunt, inclyta considet. Quam haud inferiori laudans Damasus carmine, nos extemplo alacritate et lætitia corripit et ad festum quasi invitat, ita ut e versibus ejus omnia triumphi redolere gaudia dicas. Inde celeriter pergens, quæcumque puella gessit levis et exsultans indicat : quam ferox perennia caducis anteposuerit gaudia, quam fortis varia horrendaque sustinuerit tormenta, quantis per vincula præsidiis confirmata, egentibus quam benigna, quam pollens furentes Ætnæ ignes compescuerit. Unde percipi potest quam peritus fuerit componendorum versuum Damasus, et variis Musarum laboribus quam exercitus. Neglecto enim cui indulgere solebat pede, hexametro scilicet, ad acriorem quemdam et magis citum numerum se confert, et Agathen versibus canit non nisi iambeis. Neque hoc solum : at, nobilem puellam quo jucundius laudet, novum quemdam et adhuc intentatum modum aggreditur. Qui, quum veteribus sorderet, tamen apud recentiores invaluit, et hoc peculiare affert, ut qua singuli desinunt versus syllaba, hæc inferiori similis concordi ejus excipiatur quasi repercussa sono, ita ut altera alteri

---

1. Sancti Damasi *de SS. martyribus Nereo et Achilleo, carmen* XXV.
2. Sancti Damasi *de Sancta Agatha martyre, carmen* XXIX.

consonet, auresque hoc concentu demulceat. Illo concentus genere, a doctissimo quoque tunc usurpato, Damasus non illepide utitur, neque omittens numerum illum, quo constare tunc solebant versus, permiscensque, ut mos erat, longas brevesque syllabas, bene sonantia inter se verba desinentibus subjicit carminibus, et quasi per paria consociat. Ita carminibus illis Damasus inter veteres et recentiores medium nec ignobilem locum tenet, et, suscepta utrorumque disciplina, quasi societatis vinculo in se conciliat.

Neque tamen illa sola, de quibus jam disseruimus, carmina Damasum poetam faciunt : nonnulla alia nec insulsa ejus exstant, et facillime producam quæ de Proto et Hyacintho, de Chrysantho et Daria, nec non de Felice et Adaucto [1], quæ martyrum in maxima sancti Sixti crypta jacentium in honorem conscripsit [2]. Quæ quidem singula non excutiemus, utpote in quibus nil peculiare, nil novi excerpas, nil unde temporum ratio pateat, et quo facilius in ecclesiasticos annales introspicias ; ad solam vero carminis jucunditatem si respicias, nullus tibi locus occurrit exquisito cultu aut lepore insignis, nullus qui apte et quodam lumine terminetur sensus, nil demum quod referre possis et memoria tenere. Non ignobilia plane sunt, fateor, sed quæ, mutato titulo, cuilibet inter martyres facile tribuas.

Si quis tamen miretur quod sic alia quidem excerpserim, alia vero carmina vix inferiora fastidiens respuerim, et sic opus meum imperfectum et quasi pendens deseruerim, hoc primum afferam : nunquam mihi in animo

---

1. *Carmen* XXIV, XXVI, XXVII, XXVIII.
2. *Carmen* XXXIII.

fuisse Damasi carminibus universis studere, eaque omnia, nullo prætermisso, explicare et evolvere, at tantum ostendere qualis poeta fuerit Damasus, et quo in loco inter quarti sæculi vates sit constituendus. Quod ad efficiendum, minime, ut mihi quidem visum est, necesse fuit versus cunctos eruere et excutere, sed tantum inter cæteros quasi primores producere quibus facile dignoscatur quid summa valeret.

Quin etiam, neque hoc ipso labore, explicatis scilicet cunctis, quæ exstant, Damasi carminibus, meum opus absolvissem, neque de universis quæ illius nunc supersunt carminibus verba fecissem. Plura enim a viro quodam sagaci et erudito nuper sub ruderibus et cryptarum ruinis inventa et reperta venturo mox in libro edentur. Sepulcrorum enim lapidibus, non chartis inscripta carmina illa, lapsu temporis aut hominum injuria pleraque perierunt. Multa, ruente superioris agri mole, dissipata exciderunt; multa Gothorum Vandalorumque Urbem, Alaricho[1] primum, postea Genzericho[2] duce, urgentium infesta dextra interiere[3]. At præsertim quum ducti a Vitige Gothi Belisarium intra Urbis mœnia obsidione premerent[4], tunc cœmeteriorum in latebras ruentes perfractos martyrum tumulos insani late stravere. Cujus sceleris memoriam nobis Vigilius papa tradidit : profligatis enim sæpissime Gothis, subactaque a Romanis ducibus Italia, Vigilius ipse postquam cœmeteriorum cryptas instauravit, et martyrum jacentia monumenta refecit, cryptarum in li-

1. Sancti Augustini *de Civitate Dei*, xi, 1. — Pauli Orosii *Hist.*, VII, 39, 40
2. Evagrii Scholastici *Histor. Eccles.*, II, p. 380.
3. De Rossi, *Roma sotterranea*, t. II, 8.
4. Procopii *de Bello Gothico*, I, xxii, xxvii.

mine hosce facinoris quasi conscios insculpsit versus, quibus tum Gothorum scelus et cladem, tum pontificis pietatem testaretur :

Dum peritura Gethæ posuissent castra sub urbem,
Moverunt sanctis bella nefanda prius,
Totaque sacrilego verterunt corde sepulchra
Martyribus quondam rite sacrata piis.
Quos, monstrante Deo, Damasus sibi papa probatos
Affixo monuit carmine jure coli,
Sed periit titulus, confracto marmore, sanctus,
Nec tamen his iterum posse latere fuit.
Diruta Vigilius nam post hæc papa gemiscens,
Hostibus expulsis, omne navavit opus [1].

Postea tamen, direptis rursus a Longobarda gente cœmeteriis, et eversis ubique sacris lapidibus, tandem martyrum ossa e temeratis loculis summi pontifices detulerunt, et intra Urbem tuta receperunt.

Sed tot disjecti casibus lapides, quibus inscripta legebantur Damasi carmina, exciderunt; vix mansere perpauci, multo plures desiderantur.

Attamen lapides multos, quamvis elisos, summo labore et prudentia per rudera nuper collegit et restituit Rossi ille, qui apud Italos doctrina pollet, et sic Damasi multa carmina adhuc ignota invenit et refecit. Quæ mox ipse venturo in volumine edet et in publico proponet, quum eorum etiam quæ nunc habemus, novam paret ipse editionem, eaque emendata et expurgata lectori sit præstiturus [2]. Adeo ut parum videatur utile

1. Maii *Scriptor. veterum*, t. V, p. 411.
2. De Rossi, *Bulletin archéol.*, 7e année, n° 1, janv.-fév. 1860, p. 5 (traduct. rançaise).

pauca hæc quibus fruimur, carmina, nullo omisso, evolvere. Quanquam convenit adhuc considerare de reliquis unum, quod scilicet cæteris decore suo præstat, et nobis inde licebit cum Prudentio nostrum comparare Damasum. At priusquam hoc summum aggrediamur opus, confiteri judicamus æquum nonnullis laborare vitiis Damasi carmina.

Crebrius enim parum stans versus occurrit, sive deficiente uno pede claudicat, sive supervacuo redundans modum contra fas excedit, sive etiam cæsura, sive alicujus syllabæ falso numero peccat.

Quorum vitiorum facillime quidem exempla producam : lege enim quod de Marco[1] pontifice scripsit carmen Damasus, sextumque pedem singulis deesse versibus animadvertes; si vero sancti Tarsicii laudes[2] sumpseris, septimo quodam et injusto pede peccare proximum versum intelliges; tum si sancti Eutychii, Saturnini, Felicis et Adaucti, Proti et Hyacinthi[3] laudes observaveris, passim nutante syllaba et iniquo numero corruptum versum senties.

Attamen, ut mihi videtur, asperius est hoc Damaso crimini dare, et ei versus istos incomptos et incompositos objectare. Si parum stantes versus observavimus, id Damasi minime, eorum vero culpa accidit qui nobis versus istos, quum transcripserunt, adulteratos prodiderunt. Amissis enim, ut supra diximus, tempore et hominum injuria lapidibus ubi incisa apparebant Damasi carmina, hæc non nisi a viatoribus

1. *Carmen* XIII.
2. *Carmen* XVIII.
3. *Carmen* XVII, XX, XXIV, XXVI, XXVII.

et peregrinis collecta et in libris consignata accepimus; illi vero, quum sæpius litterarum inscitia, propriaque loci caligine, et præsertim truncati marmoris vitio delusi scribendo deliquissent, nobis prava et corrupta tradiderunt quæ poeta olim æquo deduxerat integra plectro [1]. Teste enim Hieronymo [2], poeticæ artis optime peritus Damasus carmina multa de Virginitatis præmio composuerat, et sacræ Scripturæ horridum sermonem versuum jucunditate demulserat. Feliciter ergo superatis tot carminum spatiis, quum postea versus paucos martyrum in honorem scripsit, hos non incomptos certe condidit, quibus sanctorum in loculis et sic quasi in conspectu omnium positis, ab universo populo esset irrisus.

---

1. De Rossi, *Roma sotterranea*, t. II. p, 199, 200.
2. Sancti Hieronymi *de Viris illustr.*, cap. CIII. — *Ad Eustoch.*, *Ep. XXII*, § 2. — *Ad Pammach.*, *Epist. XLVIII*, § 18.

IV

DE DAMASI CUM PRUDENTIO COLLATIONE.

Principem sane inter Damasi carmina locum obtinent quæ sanctam Agnetem celebrant; præstant enim cæteris quum tanta puellæ ipsius fama[1], tum lepore proprio[2] et venustate[3], necnon etiam quod hæc postea vates egregius, poetis, qui sæculo quinto floruerunt, longe clarior, Prudentius scilicet, est imitatus[4]. Inde etiam nobis licebit Damasum nostrum cum Prudentio comparare, insignemque pontificem, nonnihil carminis delectationis minime sed pietatis causa facientem, inclyto componere vati qui Musis totam

1. Sancti Hieronymi *Epist. XXX*, § 4, *ad Demetriad.* (*Patrol. lat.*, XXII). — Sancti Augustini *Sermon.* CCLXXIII et CCCLIV, *de Sanctis* (*Patrol. lat.*, t. XXXIX). — Sulpicii Severi *de Virtutib.. sancti Martini*, dialog. II, § 14 (*Patrol. lat.*, t. XXVI). — Sancti Gregorii Magni *Homil. XI*, cap. XIII, *in Evangeli sancti Matthæi* (*Patrol. lat.*, t. LXXVI). — Sancti Maximi Taurinens., *Sermo* LI, *in natali sanctæ Agnetis* (*Patrol. lat.*, t. LVII). *Actes du martyre de la très-noble dame romaine sainte Agnès*, par Mgr Dominique Bartolini, traduit de l'italien par M. l'abbé E.-J. Materne, p. 5 (Paris, Lévesque, 1864).

2. Ozanam, *la Civilisation au* ve siècle, 14e leçon, p. 105.

3. Ozanam, *la Civilisation au* v^e^ *siècle*, 14e leçon, *les Femmes chrétiennes*, p. 105. — *Actes du martyre de sainte Agnès*, par Mgr Dominique Bartolini, p. 14.

4. Prudentii *Peristephanon*, hymn. XIV, Passio sanctæ Agnetis virginis.

insumpsit vitam, et cujus laude ceteri vates fere obruuntur.

Videamus ergo quid in utroque vel probetur vel displiceat, uter utri præstet, aut potius qua parte vicissim alter alterum vincat.

Eminet enim in illo de sancta Agnete carmine Damasi nostri ingenium, et inde omnes quibus præditus erat dotes, quasi in unum collectas, perspicere licet. Nos enim extemplo quasi media rapit in illa lugenda tempora, quibus vexabantur a paganis principibus christiani, et ex ejus carminibus vocem horrendam tubæ qua præco sedentem ad judicandos christianos præsulem denuntiabat, nobis videmur exaudire. En subito Agnetem aspicimus e parentum et nutricis elapsam gremio, stantemque ante præsulem christianam : se deos culturam negat, et ad bustum rapitur. Tunc singulari quodam et, si dicere licet, quasi aureo carmine, omnia quæ tanto in certamine experta sit Agnes, ad vivum poeta reddit : pavefactam scilicet incensi busti flammis puellam, divulsamque in contrarium quum pietate erga Deum ingenti, tum florentis vitæ illecebris et supplicii pavore, tantoque certamine sub pectore quasi laceratam, at tamen tantos compescentem animi tumultus, rogumque despicientem. Quæ Damasus non verbis tantum et sensu exprimit, sed proprio etiam carminis motu ; citis enim stabiles spondæos dactylis subjicit, junctisque ita longis brevibusque pedibus, vicissim et segnem terrorem et alacres fidei ac spei impetus exhibet[1]. Quo sane in carmine

---

1 Sancti Damasi *de Sancta Agnete martyre, carmen* XXIX.
« Fama refert sanctos dudum retulisse parentes

Damasus noster omni poetico decore et cultu, omni Musarum lepore et rara quidem in exprimendis animi motibus industria ornatus floret; vituperatione tamen haud plane immunis abibit, eique crimini vertemus, quod non satis fuse omne per ordinem sanctæ Agnetis certamen narravit, nec de iis quæ postea passa est, aut de supplicio quo occubuit, nos certiores fecit. Minime enim curavit ut nobis referret, qua vi et mente divina, quum in loco scortis proprio primum locata fuisset Agnes, tuta tamen ab omni injuria exstiterit, rogoque mox imposita per flammas quomodo resederit incolumis, demumque gladio, ut genus ejus et virtutem decebat, percussa honeste ceciderit. Sic restrictior Damasus et nimis pressus de sancta Agnete eximium quidem, sed exiguum sermonem facit, et martyrum certamina rarissimis exponit carminibus. Quod sane Prudentio vitium non objiciemus, utpote qui diligentissime, quæ ad martyres attineant, omnia exquisierit, et de istis fuse, ne dicam fusius, disserere solitus sit. Cui quidem plane cedit Damasus quum ubertate et facundia inventionisque facilitate, tum materiæ amplitudine verborumque flosculis et splendore. Quis enim Prudentio, vatum scilicet christianorum fere principi[1], Damasum nostrum inclytum quidem pontificem, sed vix

---

« Agnem, quum lugubres cantus tuba concrepuisset ;
« Sponte trucis calcasse minas rabiemque tyranni ;
« Urere quum flammis voluisset nobile corpus,
« Viribus immensum parvis superasse timorem,
« Nudaque perfusos crines in membra dedisse,
« Ne Domini templum facies peritura videret.
« O veneranda mihi, sanctum decus, alma, pudoris,
« Ut Damasi precibus faveas precor, inclyta virgo. »

1. Sidonius Apollinaris, lib. II, epist. IX (*Patrol, lat.*, t. LVIII). — Sancti

poetam dictum, anteponere in animo haberet? Longam juxta seriem carminum quibus Prudentius aut in ima christianorum arcana sese immittit, aut Symmachum, paganorum tunc temporis principem [1], impugnat, aut falsis illudens diis, Marcellorum [2], Fabiorum [3], Furiorum [4], Aniciorum [5], Scipiadumque [6] stirpe oriundos, qui ad christianos conversi numinum aurata sed desolata [7] templa deseruerant, Romanos patres salutat, vix apparent rara quæ de martyribus conscripsit Damasus carmina.

Nec minus equidem sermonis lætitia et pulchritudine quam varia rerum copia et luxurie, vastisque carminum spatiis, superatur a Prudentio Damasus. Sordet enim, fateor, ex comparatione Damasus noster, siccus sæpe et exsanguis, juxta Prudentium qui, pulchrior et ornatior, carmina sua cunctis Musarum veneribus exornat, quique illustri verborum splendore illuminatus et creber sensibus, nos facilitate inventionis, compositionis decore, figurarum illecebris, et grandi quodam splendidoque dicendi genere invitatos corripit. Eminet in Prudentio vis quædam ingenii

---

Aviti Viennens., episc., *de Consolatoria Laude castitat. ad Fuscinam sororem*, vers. 414 (*Patrol. lat.*, t, LIX, col. 376). — Sancti Isidori Hispalensis *in Biblioth. versus*. — Petri Venerabilis *Epist. XXIV, de Symmacho*, lib. III (*Patrol. lat.*, t. CLXXXIX).

1. Orelli, *Inscript. lat., collectio*, t. I, p. 260, 261. — Prudence, *Contra Symmach.*, lib, I, vers. 617, 623.

2. Sancti Hieronymi *Epist. CXXVII*, § 1, *ad Principiam*.

3. *Id.*, *Epist. LXXVII*, § 2, *ad Oceanum* (*Patrol. lat.*, t. XXII).

4. *Id.*, *Epist. LIV*, § 1, *ad Furiam*.

5. *Id.*, *Epist. CXXX*, § 3, *ad Demetriadem*. — Prudent., *Contra Symmach.*, lib. I, vers 553, 554.

6. Sancti Hieronymi *Epitaph. Paulæ*, § 1.

7. *Id.*, *Epist. CVII, ad Lætam*, § 1.

grandis et sublimis, qua per ardua christianorum dogmatum fertur, et de maximis, quibus christianorum mens agitatur, arcanis disputat. Præclaris enim carminibus, aut Christum vere Deum esse confirmat[1]; aut ea, quæ humano generi insident mala, unde erumpant, exquirit[2]; aut etiam, postquam iis illusit[3] qui marmorea numina colebant, quasi in sublime raptus, ut nuper apud nos Bossuetius, Romanam molem, urbium et gentium ruinis conflatam et auctam, quo, pacato orbe et domito, facilius gentes christianam fidem Apostoli doceant[4], ex alto prospicit.

Cui tamen, quum a tantis discedens, quæ quidem ingentem facundiæ materiam subministrant, martyres aggreditur, resque ab iis præclare gestas canit[5], æmulus occurrit Damasus noster, et vix impar de præmio certat. Minime enim, quamvis insignem inter vates teneat locum, vitiis Prudentius caret, nec ei defuerunt obtrectatores quibus in solita rhetoribus vitia sæpius incidisse visus est. Inflatus, tumens supraque modum exsultans studia nostra ficto impetu et ardore quæsito sæpe restinguit; aut otiosus et superfluens, nec satis pressus, hianti compositione et narratione lenta et tepida nos in languorem vertit. At imprimis ingenii sui nimius amator, utinam illud temperare quam illi indulgere maluisset! Assiduas exorditur orationes quibus rerum series et narratio

---

1. Prudent., *Hamartigenia* (*Patrol. lat.*, t. LIX, col. 1011).
2. Id., *Psychomachia* (*Patrol. lat.*, t. LX, col. 19).
3. Prudent., lib. I, *contra Symmachum*, vers. 59, etc. (*Patrol. lat.*, t. LX, col. 117).
4. Prudent., lib. II, *contra Symmach.* (col. 173).
5. Prudent. Aurel., *Peristephanon* (Migne, *Patrol. lat.*, t. LX, col. 276, etc.).

debilitata frangitur. Ut apud Livium nullus sive dux ante aciem, sive Pater in curia inducitur, quin extemplo in aliquam orationem accingatur; ita omnia apud Prudentium scatent orationibus, et omnes, sive addicti tormentis christiani, sive cathedra insidens præsul, vanas continuo moliuntur orationes, quibus de garrulitate potius quam de eloquentia certare videntur[1]. Si saltem has, quibus gaudet orationes, Prudentius, inventionis electione, exquisito verborum cultu sententiarumque colore et luminibus exornaret! At contra attritus et frustra turgens eas tarda et inerti structura conficit, et nihil nisi vulgaria et contrita, quæ tamen ingentibus verbis prosequitur, præcepta tradit. Ferre recusamus ista impedita orationum spatia, quibus nil novi affertur et quæ etiam vero abhorrent; nam, quum jam flammis vivus lamberetur, quum defixa in se cruenta ferarum lumina, strictove cum mucrone carnificem adspiceret, quis unquam inter eos qui pro Christo passi sunt, adstantem populum sic affari in animo habuisset? Imo vero intenta cœlo tenebant ora, toto pectore Deum morituri exorabant, et ad gaudia cœli quasi jam præsentia nitebantur. Sic, apud Hispanos pictores, frequenter inspicere solemus monachos vix pannis et cilice indutos, macie, jejunio, et ingenti Dei amore confectos, qui, consertis digitis, pallido ore ardentibusque luminibus in cœlo hærentibus, in sublime jamjam ascensuri videntur.

Vanæ quidem Prudentii facundiæ, et inani sæpe

---

1. **Lege enim quos in Laurentii, Eulaliæ, Vincentii, Quirini, Romani, Hippolyti et Agnetis honorem conscripsit versus Prudentius, et quam sit orationibus creber, facile intelliges.**

ubertati, maciem Damasi et ossa antepono, apud quem, fateor, plus vis inest quam sanguinis, plus auctoritatis et altitudinis quam cultus et lætitiæ. Qui saltem plane Prudentium superat sermonis sanitate et urbanitate, verborumque modestia et quasi pudore; nunquam enim tormenta quibus martyres sunt exagitati tam crude depingit, ut quasi fœtore quodam repulsus lector dicentem aversetur : quo quidem vitio laborat sæpe Prudentius.

Recto etiam præditus judicio Damasus diligenter curat ne unquam, jam morte sub ipsa, martyres ampullas jactent et sesquipedalia verba, quasi histriones fictam sustinentes personam. Eis nusquam accommodat orationes, omnes autem affectus animi quibus, vitam vero parati impendere, dilacerarentur morituri christiani, timorem scilicet, Dei amorem, luminis desiderium immensamque cœli spem, paucis verbis et uno vix carmine ad vivum exprimit. Ita jam damnata Agnes non præsulem objurgat, non fortitudinem suam magnifice prædicat[1], at mitis

1. Nuper sancti Damasi de Agnete carmen præbuimus; nunc, quo facilius inter se Damasum Prudentiumque conferas, versus Prudentii sanctæ Agnetis in honorem edimus (*Patrol. lat.*, t. LX, col. 580, etc., hymn. XIV):

Agnes sepulchrum est Romulea in domo,
Fortis puellæ, martyris inclytæ.
Conspectu in ipso condita turrium,
Servat salutem Virgo Quiritium
Nec non et ipsos protegit advenas,
Puro ac fideli pectore simplices.
Duplex corona est præstita martyri
Intactum ab omni crimine virginal,
Mortis deinde gloria liberæ.
Aiunt jugali vix habilem toro,
Primis in annis forte puellulam
Christo calentem fortiter, impiis

et simplex, et in ipsa hac simplicitate sublimis, timorem immensum superat rogumque victrix conscendit. —

Jussis renisam, quominus idolis
Addicta sacram desereret fidem.
Tentata multis nam prius artibus,
Nunc ore blandi judicis illice,
Nunc sævientis carnificis minis,
Stabat feroci robore pertinax,
Corpusque duris excruciatibus
Ultro offerebat, non renuens mori.
Tum trux tyrannus : « Si facile est, ait,
« Pœnam subactis ferre doloribus,
« Et vita vilis spernitur, at pudor
« Carus dicatæ virginitatis est. »
Hanc in lupanar tradere publicum
Certum est, ad aram in caput adplicat,
Ac de Minerva jam veniam rogat,
Quam virgo pergit temnere virginem.
Omnis juventus irruit, et novum
Ludibriorum mancipium petit.
« Haud, inquit Agnes, immemor est ita
« Christus suorum, perdat ut aureum
« Nobis pudorem, nos quoque deserat :
« Præsto est pudicis, nec patitur sacræ
« Integritatis munera pollui.
« Ferrum impiabis sanguine, si voles,
« Non inquinabis membra libidine. »
Sic elocutam publicitus jubet
Flexu in plateæ sistere virginem.
Stantem refugit mæsta frequentia,
Aversa vultus, ne petulantius
Quisquam verendum conspiceret locum.
Intendit unus forte procaciter
Os in puellam nec trepidat sacram
Spectare formam lumine lubrico.
En ales ignis fulminis in modum
Vibratur ardens atque oculos ferit :
Cæres corusco lumine corruit,
Atque in plateæ pulvere palpitat.
Fudisse Christo, redderet ut reo
Lucem jacenti, tum juvenis halitum
Vitæ innovatum viribus integris.
Primum sed Agnes hunc habuit gradum
Cœlestis auræ, mox alius datur.

Qua etiam in re plane devincitur a Damaso Ambrosius ille celeberrimus, cujus voce et auctoritate caput et

---

Accensus iram nam furor incitat
Hostis cruenti : « Vincor, ait gemens,
« I, stringe ferrum, miles, et exere
« Præcepta summi regia principis. »
Ut videt Agnes stare trucem virum
Mucrone nudo, lætior hæc ait :
« Exulto, talis quod potius venit,
« Vesanus, atrox, turbidus, armiger,
« Quam si veniret languidus ac tener,
« Mollisque ephebus, tinctus aromate
« Qui me pudoris funere perderet.
« Hic, hic amator, jam fateor, placet.
« Ibo irruentis gressibus obviam,
« Nec demorabor vota calentia :
« Ferrum in papillas omne recepero,
« Pectusque ad imum vim gladii traham.
« Sic nupta Christo transiliam poli
« Omnes tenebras æthere celsior.
« Æterne rector, divide januas
« Cœli, obseratas terrigenis prius.
« Ad te sequentem, Christe, animum voca,
« Quum virginalem, tum patris hostiam. »
Sic fata, Christum vertice cernuo
Supplex adorat, vultus ut imminens
Cervix subiret prona paratius.
Ast ille tantam spem peragit manu,
Uno sub ictu nam caput amputat,
Sensum doloris mors cita prævenit.
Exutus inde spiritus emicat,
Liberque in auras exsilit. Angeli
Sepsere euntem tramite candido.
Miratur orbem sub pedibus situm,
Spectat tenebras ardua subditas,
Ridetque solis quod rota circuit,
Quod mundus omnis volvit et implicat,
Rerumquod atro turbine vivitur,
Quod vana sæcli nobilitas rapit
Reges, tyrannos, imperia et gradus,
Pompasque honorum stulta tumentium,
Argenti et auri vim rabida siti
Cunctis petitam per varium nefas :
Splendore multo structa habitacula,

animum Theodosius flexit, quique generosis Agnetis captus illecebris, hanc ipse haud ignobili carmine prosecutus est. Quem quidem sensibus crebrum, alacritate jucundum, magnarum sententiarum, quas quasi excerpere et referre possis, colore insignem laudamus; at ubi de sancta Agnete agitur, obscurum tamen et incer-

---

Illusa pictæ vestis inania,
Iram, timorem, vota, pericula,
Nunc triste longum, nunc breve gaudium,
Livoris atri fumificas faces,
Nigrescit unde spes hominum et decus,
Et quod malorum est tetrius omnium
Gentilitatis sordida nubila.
Hæc calcat Agnes ac pede proterit,
Stans et draconis calce premens caput,
Terrena mundi qui ferus omnia
Spargit venenis, mergit et inferis;
Nunc virginali perdomitus solo,
Cristas cerebri deprimit ignei,
Nec victus audet tollere verticem.
Cingit coronis interea Deus
Frontem duabus Martyris innubæ,
Unam decemplex edita sexies
Merces perenni lumine conficit,
Centenus exstat fructus in altera.
O virgo felix! o nova gloria!
Cœlestis arcis nobilis incola,
Intende nostris colluvionibus
Vultum gemello cum diademate,
Cui posse soli Cunctiparens dedit
Castum vel ipsum reddere fornacem.
Purgabor oris propitiabilis
Fulgore, nostrum si jecur impleas.
Nil non pudicum est, quod pia visere
Dignaris, almo vel pede tangere.

Sancti Ambrosii, Mediolan. episc., *Hymnus sanctæ Agneti* (*Patrol. lat.*, t. XVII):

Agnes beatæ Virginis
Natalis est, quo spiritum
Cœlo refudit debitum
Pio sacrata sanguine.

tum fatemur, qui nil proprii, nil peculiare referat, nil unde pateat qualis fuerit Agnes, aut quid passa sit. Apud Damasum secus hæc omnia mire exprimuntur, et, ab ipsa Agnete quasi delusi, eam bustum horrentem horrentes ipsi miramur.

Præterea Damasi est in animo tenerum quiddam et

Matura martyrio fuit
Matura nondum nuptiis;
Nutabat in vivis fides,
Cedebat et fessus senex.

Metu parentes territi,
Claustrum pudoris auxerant.
Solvit fores custodire
Fides teneri nescia.

Prodire quis nuptum putet :
Sic læta vultu dicitur
Secum novas ferens opes
Dotata censu sanguinis.

Aras nefandi numinis
Adire tædis cogitur.
Respondet : Haud tales faces
Sumpsere Christi virgines.

Hic ignis exstinguit fides,
Hæc flamma lumen eripit,
Hic, hic ferite, ut profluo
Cruore restinguam focos.

Percussa..... quam tulit,
Nam veste se totam tegens
Curam pudoris præstitit,
Ne quis retectam cerneret.

In morte vivebat pudor,
Vultumque texerat manu
Terram genuflexo petit
Lapsu verecunda cadens.

Gloria tibi, Domine,
Gloria Unigenito
Una cum Sancto Spiritu
In sempiterna sæcula.

flebile, humanitas quædam propriaque benigni animi misericordia. Hæc enim lege quibus Projectam, in ipso ætatis flore de complexu matris et conjugis avulsam [1], aut Irenen germanam vicesimo ætatis anno funere raptam[2], complorat Damasus, et fateberis neminem unquam casum gravem amissumque vitæ consortium mollius doluisse, neminem cari capitis desiderium flebilius significasse. At ipsum dolorem quasi permulcet propria quædam christianis patientia, et in Damasi carminibus summum desiderium spe certa et venturis cœli gaudiis lenitum perspicimus. — Nolimus etiam hoc pergratum et suave, quod posthac clam Damaso subripuit ipse Prudentius[3], præterire carmen, quo Damasus sancti Felicis erga christianos qui undique tumulum ejus rogantes adibant, benevolentiam crebraque beneficia exprimere tentat :

Nec quemquam pateris tristem repedare viantem [4].

Non hoc ipso lepore et jucunditate devincuntur apud Damasum veritas et auctoritas quibus eminent ipsius carmina. Collecta enim a Romanis pontificibus tabularia quibus fuerat ipse præpositus[5], diu et studiose perscrutatus, ex Exceptorum tabulis omnia quæ a martyribus dicta vel acta fuissent, per ordinem percepit, carminibusque suis inclusit. Neque hoc solum

---

1. Sancti *Damasi Epitaphium* Projectæ, carmen XXXII.
2. Sancti *Damasi Epitaphium* Irenes sororis, carmen XXXI.
3. Prudentii *Peristephanon*, hymn. II, *Passio Sancti Laurentii*, vers. 386 : « Et tritis haud ullus redit. »
4. Sancti Damasi *De sancto Felice* carmen XV.
5. Labbei *Concilia*, t. I, col. 1444. — Sancti Damasi carmen XXXV. — Merenda, ad opera sancti Damasi prolegom., c. 13 (*Patrol. lat.* 13).

habuit, sed carnifices ipsos, martyrum supplicii conscios, et quasi eorum cruore madentes, adiit singulaque ab iis audiit [1]. Inde carminibus Damasi magna fides, inde pondus ingens, et quæ veritatem prosequitur reverentia. Inde etiam sæpe dissentientes inter se Damasum Prudentiumque intelligimus, et, alterum cum altero conferentes, res easdem et consimilia facta apud utrumque longe aliter relata miramur. Alter enim, delectandi parum studiosus, versus suos e Scripturis et certo adstantium testimonio condit; alter, quum in eo totus sit ut delectet, plurimum ex arbitrio suo vel incerta fama et quasi per libidinem fingit [2].

Num tamen nulla inesse vitia Damaso putes? Tota via aberres : multis vitiis laborat, eumque, quamvis nuper et merito laudatum, varie tamen et copiose vexare liceret. Exilis enim et exsuccus, pro temperantia jejunium, pro firmitate maciem et inopiam consequitur. Scabro etiam et inculto nonnunquam utitur sermone, multosque versus ægre et magno molimine, quamvis impolitos, struit. Sæpe quum locum lætiorem attentat carmenque idoneum, hoc assidue utitur et semper ingeminat, ita ut, fractum quemdam et elisum quum invenimus lapidem cryptarum sub ruderibus obrutum et trunca quædam e Damaso præ se ferentem, amputata carmina in integrum restituere perfacile detur, et quasi disjecta colligere membra poetæ.

Pressus quoque nimis et adstrictior sæpe fit obscurus, et, quum multa paucis referre carminibus tentet, res

1. Sancti Damasi *de Sanctis Marcellino et Petro* carmen XXIII.

2. Exempli gratia vide quæ de Laurentio et Agnete conscripsit Prudentius, eaque cum sancti Damasi versibus de Sixto et Agnete confer. — De Rossi, *Roma sotterranea*, p. 91, 92.

memoria prorsus dignas, vix et maligno sermone indicans, celare potius quam narrare videtur. Quin etiam, quid in mente habeat frustra sæpe intelligere conamur, et nimia in dicendo brevitate deludimur.

At quod peccavit Damasus, id equidem non infirmi ingenii, non inscitiæ, sed quasi rerum angustiæ et tabularum quibus utebatur iniquitatis causa illi accidit. Longum enim de varia martyrum fortuna carmen inchoare, cruentaque eorum certamina plurimis, ut vatibus solet, versibus narrare, in animo minime Damasus habuit; at tantum voluit in eorum sepulcris, opificum omni cultu exornatis et arte, paucos pia manu versus insculpere quibus christianis breviter admodum patefieret quis sub hoc lapide, quibusque insignis rebus, jaceret. Inde objurgata Damaso vitia; inde, lapidum coactus exiguitate, quæ facundiæ et ingenio quasi frena imponebat, longam præcipuarum rerum seriem perpaucis carminibus obscurus et exilis cohibet; inde ægre sua carmina molitur, quod nimia raris versibus exprimere tentat, et, quum primum lepidum quoddam et insigne obtinuit, hoc postea sæpe utitur, et difficillime abstinet.

Si nunc miraberis quod Damasus sic insculpere tumulos satis habuit et exornare versibus, quibus tamen, si ingenio suo quasi vela pandisset, insignis evasisset inter christianos vates, hoc primum fatebimur, ad id scribendi genus Damasum se judicio quidem et intellectu transtulisse conscium. Versus enim egregie faciebat, et, ut prius diximus, mulierum quæ virginitatis honorem intemeratum servabant laudes prædicavit, sacrasque Scripturas, quo facilius a vulgo audirentur, poetico lepore et versuum illecebris induit; quo labore

sancti Hieronymi quamvis asperrimi et fastidiosi laudationes adeptus est. Neque eximias præterea dotes, quibus poeta constat, negare Damaso neminis unquam in mentem veniet : ingenii scilicet impetum, mollem animum et artem illam qua pictoris æmulus fit poeta ; quam quidem artem, sicut jam ostendimus, callet Damasus.

Longum ergo de martyribus carmen, quod felicissime absolvisset, conficere Damasus noluit ; nec immerito, hoc enim non nisi in doctorum et eruditorum manibus versatum esset, atque ex illo nullam utilitatem carpsisset christianum vulgus. Maluit humiles et plebem docere inglorius, christianorumque vulgo animos erigere in altum, quam apud solos eruditos juxta Sedulium, ne supra dicam, locari, et magnam inter vates obtinere famam. Ut a pluribus audiretur, versus suos non chartis alexandrinis, non pergamenis membranis, quæ non nisi paucorum in manibus fuissent, sed tumulorum in lapidibus, imis sub cryptis, consignavit.

Jussus enim a Damaso diaconus quidam ecclesiæ Romanæ qui marmoris incidendi callebat artem, Fidus scilicet Dionysius Philocalus, cujus nomen in lucem nuper prodidit Rossi ille[1] inter eos qui de veterum monumentis et industria disputant longe princeps, martyrum tumulos columnis crustisque marmoreis exornavit, ut ibi Damasi pontificis versus amica manu incideret. Nec ea quidem in marmore solitis et

---

1. De Rossi, *Roma sotterranea christiana*, t. I, p. 119, 120 ; t. II, p. 25, 196, 199. — *Bullet. archeolog. christian.*, 1re année, p. 18. — *Inscript. christian.*, t. I, p. 56.

quibus tunc omnes vulgo utebantur litterarum figuris expressit, at novum quoddam et singulare genus litterarum adhibuit quæ præstantis formæ beneficio ubique oculos detinerent. Litteræ enim figura rotundæ, altitudine pares, pari spatio inter se distantes, in tremulam exilemque lineam desinentes, rubeo colore imbutæ, alboque in lapide radiantes, perspicue nitent. Quod litterarum genus usque ad nos Damasianum nomine dictum est.

Christiani ergo quum, die dominica, ut tunc solemne habebant, cryptas ingrederentur, piasque ibi latebras inviserent, in utraque parte dispositos per parietes martyrum lapides mirabantur, et quis singulis sub lapidibus, quæ ab unoquoque gesta, paucis quidem sed eximiis e Damasi carminibus noscebant. Inde præsertim grandia percipiebant exempla et quasi omnem virtutum disciplinam. Lapides enim sepulcrorum, quasi vocales facti, christianos virtutes omnes docebant, fidem scilicet, vitæ sanctitatem, rerum humanarum contemptum, magnam erga inopes benevolentiam, et immensum erga Deum amorem, quo fidei tenaces æquum mediis in tormentis animum servabant christiani, et sic functorum laudibus vivos hortabantur. Ita si quis ex Urbe Brundisium per viam Appiam tenderet, in utraque viæ parte erecta aspiciebat monumenta[1] in memoriam principum virorum qui rem Romanam virtute sua et animo condiderant, et, ut eximie quidem ait poeta, Urbem fecerant quod prius Orbis erat[2]. Tunc tanta mirans inscripta lapidibus nomina, tantaque

---

1. *Histoire de sainte Cécile*, par dom Guéranger, ch. IV, 2e édition.
2. Rutilii Numatiani *Itinerarium* (Amst., 1867, in-12).

secum acta reputans, animum attollebat, functorum gloriæ quasi particeps et conscius æmulatione fiebat, auctisque tanto exemplo animi viribus, se quoque magnis rebus non imparem putabat. Tale quidem christianis intulit beneficium Damasus ; studuit enim minime ut Musarum leporibus et illecebris captarentur æquales et posteri, sed ut nonnulla quæ vulgo christianis prodessent, inglorius conscriberet, eorumque animum, proposita martyrum vita et nece, emendaret et componeret. Idcirco famæ suæ plane incuriosus et quid de se existimarent posteri minime sollicitus, longum, unde tamen apud doctiores viros magnam famam sumpsisset, de martyrum gloria carmen suscipere non sustinuit. At eorum laudes propriis in quibus conditi fuerant loculis inscripsit, et functorum sepulcris salutares, quæ vivis prodessent, admonitiones mandavit : ita ut ii, qui cryptas inviserent, inde referre domum possent aliquid illustre et dignum memoria, quo ad contemnendas libidines appetendaque cœli gaudia incitarentur.

Tum quid Damasi referebat num repetita sæpe aut etiam parum stantia carmina nonnunquam usurparet, qui laudi suæ minime, christianis autem commodis plurimum consuleret? Ideo Damasum semper gratum illi habebunt quibus cordi est lepor ingenuus, verborum modestia et pudor, incompta elegantia et altus rerumque ipsa amplitudine auctus animus, et denique Musarum dotes et insignis illa disciplinæ peritia, quæ non laudum, non divitiarum cupidini, sed omni vitæ sanctitati, sed modestiæ, et fortitudini, sed pietati erga Deum et erga homines benevolentiæ inservit. Cedat igitur multis Damasus facundia et verborum mag-

nificentia, nec soli Prudentio, sed Paulino etiam Nolano, Sedulioque et Mediolanensi Ambrosio inferior videatur, qui quidem omnes et facilitate inventionis, et rerum verborumque beatissima copia, et orationis veneribus ac splendore plus apud nos valent; sed nemo unquam præclaro hoc et optimo munere, quod olim vir egregius, vates ipse, vatibus vulgo describebat, plenius functus est : « Monere scili« cet homines melioresque efficere[1]. »

---

1. ΑΙΣΧΥΛΟΣ.

. . . .

. . . . Τίνος οὕνεκα χρὴ θαυμάζειν ἄνδρα ποιητήν;

ΕΥΡΙΠΙΔΗΣ.

— Δεξιότητος καὶ νουθεσίας, ὅτι βελτίους τε ποιοῦμεν
Τοὺς ἀνθρώπους ἐν ταῖς πόλεσιν.

(Aristophanis *Ranæ*, vers. 1021, 1022, 1023.)

VIDI AC PERLEGI :
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, a. d. VIII id. jun. ann. MDCCCLXIX, Facultatis litterarum in Academia Parisiensi Decanus.
PATIN.

TYPIS MANDETUR :
Academiæ Parisiensis Rector.
A. MOURIER.

INDEX

DE SANCTI DAMASI SUMMI APUD CHRISTIANOS PONTIFICIS CARMINIBUS.